DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VESTITU;

PRÆCIPUE QUÆDAM DE INDUSIO LANEO COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL HUGHES,

ANGLUS,

SOCIETATUM

REG. MED. ET NAT. STUD. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Prout aer se habet, homo etiam se vestire debet.

De Haen.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

APUD MURRAY ET COCHRANE.

MDCCXCV.

PRÆCEPTORI SUO

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

INSTITUTIONUM MEDICINÆ IN

ACADEMIA EDINENSI PROFESSORI, &c. &c.

OB MULTA BENEFICIA

QUIBUS

ILLUM DIGNATUS EST,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VESTITU.

Auctore SAMUELE HUGHES.

PROOEMIUM.

MEDICINA Practica in duas partes aptiſſime dividitur. Prior ſanitatis tuendæ doctrinam tradit, Græcis ὑγιεινη appellatam: Rationem medendi, ſeu Therapeiam, petit poſterior.

Priori relegantur quæ ſequuntur.

Noſtra Diſſertatio ſex partes complectitur, et in propoſito exſequendo hujuſmodi ordinem ac methodum ſequi ſtatuimus.

In Prima, Pauca de Veſtitu in genere proferentur.

Secunda, De Cœlo Britannico ſpeciatim agetur.

Tertia, De Halitu Cuticulari fuſe diſputabitur.

Quarta, Morbi noſtro cœlo proprii, aut ab eo pendentes, inveſtigabuntur.

Quinta, De Veſtitu laneo tractabitur, et quæretur quibus modis corpori affert commoda.

His demum indagatis, reſtabit, *ſexta*, diſſerere de illorum conſtitutionibus, quorum maxime intereſt, veſtitum aptum ſeligere.

De VESTITU *in genere.*

Benignus Naturæ Opifex hominem finxiſſe videtur, non ut plantam certo cuidam cœlo deſtinatam, ſed civem orbis, qui, debitam adhibendo curam, vel polare frigus, vel æquatoris ardores ferre valeat. Ille, conſtitutione omnibus extremis apta gaudet, modo ne ſubitæ mutationes: Tales enim motus fluidorum æquabiles perturbant, foramina cutis invisibilia, perſpirationi ſubminiſtrantia,

ſtrantia, nunc nimis conſtringunt, nunc nimis reſolvunt, imo, in ipſum genus nervoſum directe et nocenter agunt.

Homo, ut ſub omni cœlo vivere et valere poſſit, tutamine, omnibus mundi regionibus apto, contendere inſtructus eſt.

Vetuſtiſſimo ævo Hunnorum, Scytharum, Gothorum, Sarmatarum, Germanorum, amictus deſumebatur a ferarum pellibus; quin et de Regibus pellitis Getarum, verba facit Sidonius Apollinaris *.

Recentiori tempore non minus, Reges et Imperatores, ad dignitatem ſuam externo ornatu oſtentandam, animantium pelles ſeligerunt; quam veriſſime igitur cecinit poeta,

"Know, Nature's children all divide her care,
"The fur that warms the Monarch, warm'd a Bear."

Lappones, Finni, Norvegi, Siberiani, dum ſævit hyems, ſeſe pellibus villoſis præcingunt. In regionibus orientalibus, nebulâ lineâ tenuiſſimæ tex-

* Vide etiam Tacitum de Moribus Germanorum.

turæ gaudent incolæ, etiam pro capitis tutelâ adversus solis radios, (Gallis le coup de soleil), tiaram habent.

Mos et consuetudo inter Europæos plurimas vestium varietates induxerunt, et nimis sæpe utilitas vera ornamento cedit, nimis sæpe a vestibus arcte appressis, necnon cingulis et vinculis, quibus puellæ formosissimæ vinciri solent, mala plurima conformationis exoriuntur; sed morbus docet quam pretiosa sit sanitas, et quamvis contra mortis imperium nil valet corpus habitu ferreo a capite ad calcem armari, tamen sanitatem nostram, quasi patrimonium præstantissimum, maximi momenti nobis est conservare.

His prædictis, ad caput secundum in ordine progrediendum est.

De Cœlo Britannico.

Nulla regio nota est ubi temperies tam varia ac in Britannia: " *Cœlum crebris imbribus ac nebulis* " *fœdum,*"

"*fœdum* *," tali inconſtantia præditum, noſtri corporis machinam repetitis quaſi ictibus impellit atque debilitat, nunc animum aëre torrenti, nunc frigido humidoque deprimens, febres excitat lentas, mentiſque vigorem frangit: hinc morbus hypochondriacus in Anglia multum graſſatur. Verno tempore magna eſt cœli varietas: quatuor anni tempeſtates perſæpe unâ eademque die confunduntur, tranſituſque ab una ad aliam adeo repentinus eſt, ut frigida calidis, et humida ſiccis pugnare videantur.

Æſtivo tempore, in hac Inſula, multæ fiunt viciſſitudines ſubitæ ab æſtu ad frigidum aëra; hyeme vero, a glacie rigidâ ad lenem neque injucundam tempeſtatem. Contingit nobis ſæpe in æſtate, thermometrum Fahrenheitianum heri gradum caloris 65° notâſſe, hodie 45°: Priori, de æſtu conquerimur, ſecundâ, dicimus quam friget.

His rebus ſic ſe habentibus, haud mirandum eſt, quod Catarrhus, Tuſſis, Phthiſis, totaque morborum

* Tacitus in Vita Agricolæ.

borum chronicorum dira cohors ut plurimum graſſantur.

Nullo autem anni tempore tantas cœli et aëris mutationes, quam autumno, obſervamus ; et nullus eſt anni ſtatus aut conditio, quæ plures inducit morbos, quam tempus vernum et autumnale.

" Nulla res ſanitati majus detrimentum affert,
" quam ſubita aëris, præſertim calidi in frigidum
" et frigidi in calidum, mutatio.*"

His bene cognitis, omnium intereſt explorare viam, quâ corpus contra has mutationes tutiſſime defendatur. Sed prius ad hoc quam animum advertimus, inquirendum eſt, qua ratione hæc cœli inconſtantia nobis adverſatur ; et hoc loco non alienum a propoſito erit, quædam de halitu cuticulari annotare.

De Halitu Cuticulari.

Quicunque exquiſitam corporis noſtri machinam, partiumque in ea miram configurationem, paulo diligentius ſcrutetur, eandem ex numeroſa organorum

* Hoffmannus.

norum ſecernentium et excernentium congerie maxima ex parte compactam eſſe, intelliget: Tanta enim ſecretionum et excretionum, ad vitam cum ſanitate tuendam, utilitas eſt atque neceſſitas, ut ſine iis corpus nec augeſcere, et ad legitimum incrementum pertingere poſſet, nec ad exſequendas animæ actiones idoneum, nec robuſtum, nec ſanum, nec etiam vivum foret.

"Εκπνοον καὶ εισπνοον εϛιν ολον το σωμα."

HIPPOCRATES.

Halitus cuticularis apte definiri poteſt, vapor ſubtiliſſimus e tota corporis ſuperficie exudans, et ſingulis ejuſdem cavitatibus exhalans.

Conſtat ex Anatomia, arterias ſubcutaneas ramulos undique in cutem emittere, et quo proprius hi ramuli cuticulam adeunt, eo ſubtiliores fiunt, tandemque rubras ſanguinis particulas tenuitate ipſa excludentes, oſculis apertis ubique in ſuperficie hiant.

Rem ita ſe habere, injectiones cadaverum teſtantur. Eadem vaſa, dum cauſæ auctæ perſpira-

tionis

tionis agunt, sudorem effundere videntur, ita ut hæ duæ excretiones parum inter se discrepant, nisi quod sudor sebo oleoque cutaneo paulo majori quantitate permistus sit.

Materies *perspirabilis* post excretionem in aëra dispergitur. Eadem diversis ætatibus prorsus diversa quantitate evadit: in juventute, dum fluida exuberant, copiosa fit; in senibus vero, vasa quasi delentur, et cutis fit rugosa, hinc *perspiratio* valde diminuitur; ejus quantitas variat etiam pro varietate sexus, temperamenti, consuetudinum, &c. &c. &c.

SANCTORIUS doctrinam de hac exhalatione, per multos annos, indefessa observatione coluit, et arte sua staticâ pulcherrimâ probare tentavit, quantum, intra viginti quatuor horarum spatium, materiæ exudatæ, sanus homo perdebat; hinc *Perspiratio Sanctoriana* quibusdam appellatur.

Inter medicos plerumque consensum est, suppressionem hujus excretionis corpori multum afferre detrimenti, et multos gravesque morbos ab hoc originem ducere, quoniam singulæ internæ partes

cum

cum tota ſuperficie corporis mirabili gaudent connexu.

Exhalatione retentâ, primo laborat pulmo, et oriuntur Tuſſes, Peripneumoniæ, dein Febres, Aſthmata, Diarrhæa, &c. &c. Deficiente materie *perſpirabili*, ventriculus et inteſtina patiuntur, deeſt appetitus, coctio debita non fit, nec bona ſecretio, et donec cutis laxetur, nulla morbi fit medela, ſed e contrario, in pejus omnia ruunt.

A *perſpiratione* obſtructâ oriri videntur illæ cutis affectiones moleſtæ, de quibus parum adhuc cognoſcitur, et quæ ſæpe vultum corpuſque fœdant et deformant. Notatu dignum eſt, ægrorum cutes his malis laborantium, in genere aridas eſſe, et hoc modo hocque ſolo explicare poſſumus, cur balneum tepidum, præparata ex antimonio, ſudorifica, &c. in iis curandis tantopere proſunt; ſcilicet, quod eorum uſu cutis relaxatur, et exhalatio per eam promovetur.

Liceat hoc loco clariſſimi Gregorii de hac excretione verba citare.

" Minutus vel ſuppreſſus ſudor halituſque

" cutis haud raro obfervantur. Deficiunt hæ ex-
" cretiones paulatim propter vitæ genus otiofum
" et fedentarium, graves animi affectus, qui im-
" petum fanguinis valde minuunt, debilitatem
" fere omnem, cœlum aut tempus frigidum et
" humidum, immunditiam, cibi genus durius,
" exhalatu difficilius, et demum propter plurima
" foramina cutis, et vafa minora, coarctata aut
" conclufa, veluti in fenibus, quibus femper ex-
" halatio per cutem parcior eft, urina vero copi-
" ofior, pro rata parte, quam junioribus.

" A tali defectu multa profluunt mala. Totum
" corpus plenum, (nifi aucta alia fecretio infolitam
" retentionem compenfaverit), et hebes, et lan-
" guidum fit, et animus quoque demiffus et triftis;
" nam hilaris et lætus animus exhalationem pro-
" movet, et a libera exhalatione, quodammodo
" efficitur viciffim. Concoctio quoque ciborum
" vitiatur, et appetitus minuitur, propter infig-
" nem inter cutem et ventriculum confenfum.
" Denique, retenta diu materia putrefcente, vel
" noxia faltem, quæ debuiffet excerni, haud ab-
" fimile

" ſimile eſt, totam maſſam humorum paulatim
" corruptam iri." *Gregorii Conſpectus*, *tom.* 1. p. 399.

Iterumque, in tom. 2. p. 402.

" Modica et diuturna per cutem exhalatio, " qualis facile, vel idoneis medicamentis, vel cor- " poris exercitatione, vel veſtitu, vel cœli muta- " tione, effici poteſt, in multis morbis, veluti lue " venerea, podagra, *rheumatiſmo*, &c. ſæpe ma- " gis prodeſt quam ſudor copioſiſſimus ſed brevis, " validioribus medicamentis provocatus; et qui- " dem multos ſanavit, quibus hic nihil profuiſſet; " qui ſane periculo ſuo non ſemper caret, et in- " terdum perniciofiſſimus foret, veluti phthiſicis, " cum lenior et conſtans per cutem excretio in- " ſigniter prodeſſet."

E ſupra memoratis conſtat, hanc excretionem maximi in œconomia animali eſſe momenti, et ex ejus equilibrio juſto ſanitatem corporis et vigorem multum pendere: nunc inquirendum eſt, qui ſint morbi, ab eâ interpellatâ, oriundi.

De Morbis e noſtro Cœlo pendentibus.

Quævis regio, præter incommoda ſibi cum aliis communia, ſuis quoque morbis plectitur. In regionibus Borealibus, ut in Siberia, Lapponia, &c. Sphacelus, ex levi etiam externa membrorum læſione, oriri ſolet: Puſtulæ quoque a frigore oriuntur: Nareſque et aures ſæpe decidunt, ſphacelo ex immanitate frigoris contracto: In eos, regiones inter tropicos ſeu ſoli affines, incolentes, impetu intolerabili ſævit Tetanus, nec ætati, nec ſexui, nec corporis formæ vel colori parcit.

Nobis præcipue notanda ſunt, Febres continuæ et intermittentes, Catarrhus, *Rheumatiſmus*, Aſthma, Pneumonia, Angina, Hypochondriaſis, et Phthiſis pulmonalis.

Frigus corpori applicatum pro catarrhi cauſa agnoſcunt omnes, plures pro ſolâ ponunt; pendere videtur a ſanguine ab exterioribus corporis repulſo, et majori ideo copia in interiora, ſpeciatim in glandulas mucoſas, delato.

Annis

Annis jam duodecim exactis, malum epidemicum has regiones multum vexabat, *Influenza* vocatum, diverſos pro diverſa ætate, more, vita, &c. diverſis modis afficiens.

Pro cauſa febrem inducente, ubi contagio abeſt, æger plerumque frigus corpori applicatum ducit.

Tuſſes et anginæ ſingulæ eadem ſtirpe oriuntur.

Apud omnes compertum eſt, *rheumatiſmum* regiones et cœli plagas magis infeſtare, quæ repentinis viciſſitudinibus caloris et frigoris vexantur; nullibi magis invaleſcit quam in Inſulis Britannicis.

* Multi pariter affirmant, *rheumatiſmum* in regionibus magis ad Auſtrum vergentibus multo rarius occurrere; in regionibus conſtanter frigidis, ut in Greenlandia, Icelandia, &c. ignotum fere hoc malum: Illos, qui a calidis has regiones adveniunt, hic morbus frequenter premit: Amicus, omni fide dignus, Bengalienſis, nos certiores fecit, ſe, ſimul ac has terras viſitaverat, *rheumatiſmo*

* Vide Cleghorn, Hillary, &c.

rheumatiſmo acuto correptum eſſe. Quo plus calet corpus, vel quo plus in aëri calidiori verſatus fuerit, eo facilius, ab imminutione quâdam caloris, afficitur: Eodem modo diarrhæa continua peregrinantes e calidis in frigidas regiones ſæpe multum vexat.

Aſthma, ubi proclivitas hæreditaria non valet, vel pulmonum peculiaris conformatio, ſine dubio a ſubitis tempeſtatum mutationibus, et frigore incaute corpori applicato, ſæpe inducitur; et hujus ratio evidenter conſtat, propter illam mirabilem conſenſum, quæ ſemper inter corporis ſuperficiem et internas partes obtinere videtur. Hunc nexum clare exponere, ſagacioribus relinquo; ſed nemini latet, diarrhæam ſæpe ſuccedere pedibus frigori et humiditati ſubjectis. Inter varietates diarrhææ, unam habet Cullenus, "a frigore præcipue "pedibus applicato," ortam.

Quamvis aſthma raro periculum mortis inſtantis ſecum afferat, tamen per ſeptimanas, per menſes, imo per annos durat. Obſervari debet, quod juvenes vix in integrum reſtituuntur, ſi aſthmatis

exceſſus

exceſſus unquam experti ſunt; ſenes fere nunquam. Memorabile exemplum præbet JOANNES FLOYER, Eques, medicus inclytus: ille aſthma ætate infantili contraxit, et per totam ejus vitam eodem multum vexatus eſt.

Aſthma hæreditarium mitigatur tantum, curatur ex toto nunquam; ſi quis igitur huic malo obnoxius, ab ejus diris acceſſibus immunis vivere velit, oportet præ omnibus ſervare corpus in temperie tam æquali quam poteſt, et proprio veſtitu idem munire, contra illas cœli mutationes quæ malum nunquam non augere ſolent.

Cœlum frigido-humidum, nubilum et variabile, inter cauſas excitantes *hypochondriaſis* præcipuas, habitum eſt medicis: Eam, in noſtra inſula, rarius æſtivo quam brumali tempore occurrere, experientia docet; lugubris Novembris in proverbium abiit: Divitum ædes ſæpius quam pauperum tabernas hoc malum pulſat; ſed quomodo ab aëre originem ducit? Variis quidem modis, ſed hiſce forſitan præcipue: Aër nimis humidus vaſa extrema debilitat, reſolvit, exinde ſympathiâ ventriculum

lum eodem malo afficit: Hæc vaſa etiam non ſolum cum ventriculo, ſed cum cæteris omnibus vaſis, quodammodo conſentiunt; hinc vaſis extremis aëre affectis, totum corpus effici poteſt: Quid igitur faciet mœſtus Britannus? Cœlum mutet; vel ſi natalis ſoli dulcedine captus ſit, vel ſi res anguſtæ domi vetuerint, præ omnibus induſio laneo ſeſe oportet veſtire, aliaſque cautelas de vitæ regimine obſervare, de quibus non nobis eſt hoc loco dicere.

"The remote cauſe of pneumonic inflamma-
"tion is commonly cold applied to the body, ob-
"ſtructing perſpiration, and determining to the
"lungs*."

Phthiſis pulmonalis tam latè per has regiones graſſatur, et tam ſæpe lethalis evadit, ut fere endemicus eſt morbus. Ei maxime obnoxia eſt ætas inter vigeſimum et trigeſimum annum, et forma quæ gaudet humeris alatis, collo longo teneroque,

* Culleni tom. 1. p. 371. Prim. Lin.

teneroque, thorace angusto planoque, statura procera, et molli musculorum compage.

Medicus sagax, SYDENHAMUS, de modo quo frigus corpus humanum lædit, differens, hæc verba, notatu digna, profert:

"Et sane existimo, plures, modo jam designato, quam peste, gladio, atque fame, simul perire."

Mutationes aëris frigidi, humidi, non solum ægri graviter ferunt, sed et sani homines. Recte ergo observat Virgilius,

"Ubi tempestas et cœli mobilis humor
"Mutavêre vias, et Jupiter humidus austris,
"Densat, erant quæ rara modo, et quæ densa relaxat;
"Vertuntur species animorum, et pectora motus
"Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
"Concipiunt."

His bene consideratis, pauca de morbis mulierum dicere nunc convenit, virginibus primum tribuens locum, quibus cœlebs sua vita multa affert incommoda. Iis (ut apte notat egregius medicus MEAD,

in ejus Monitis et Præceptis) malum frequentiſſimum eſt *Menſtruorum Suppreſſio.*

Hic morbus virgines eo tempore præcipue obſidet, quo ad ſummam ſtaturam pervenit corpus, et plus ſanguinis conficitur quam ad ſolum nutritum requiritur. Cognoſcitur adeſſe ab ætate ſexus hanc excretionem poſtulante, una cum pallore cutis, fibrarum plerumque laxitate, ſpirandi difficultate, præcipue movendi membra gravitate et tarditate, dorſi et inguinum dolore, aliiſque ejuſmodi ſignis.

Chloroſis etiam inter virgines noſtras malum haud infrequens eſt. Hoc vitio adſtante, roſeus iſte faciei vigor, quem purpureus ſanguis per tenerrima vaſa grate tranſlucens elargiri ſolet, tabeſcit, et plumbeus aut ſubviridis pallor ora occupat, adeſt dyſpepſia, aſthenia et palpitatio premunt, omnes functiones plus minuſve interpellantur.

Rebus ſic ſe male habentibus, ut plurimum convenit corpus calidum ſervare, et præcipue pedes

des et crura contra frigus diligenter defendere, quoniam inter caufas harum affectionum nulla fere frequentior exiftit quam frigus artubus inferioribus admotum, hoc loco non alienum erit obfervare, quod mihi admonuit generofus, virgines Caledoniæ præcipue menftruorum obftructionibus, aliifque incommodis, e nudis pedibus obnoxias effe.

Omnium confenfu, fœminæ præ viris *Leucophlegmatiæ* funt expofitæ; cujus rei caufa a folidorum imbecilliori contextu, damnofo quo utuntur otio, uteroque, (uberrimo morborum fonte), petenda eft. Si hæc diathefis vitiofa leviter tractetur, id corporis vitium conftituit, ut ad feria, et fere immedicabilia, mala ducit.

Fœminis igitur præ omnibus cavendum eft, minimorum vaforum actionem concitare, per ea fanguinem promovere, et per fummam cutem humorem fenfim difflare.

Noftri cœli inconftantiâ, et malis ab ea pendentibus, rite perpenfis, proximum eft ut quærere

 aggrediamur,

aggrediamur, præſidia, ad hæc evitanda, quæ ſunt optima.

De Veſtitu Laneo, et Modis quibus Corpori affert commoda.

Paucis jam prædictis, manifeſtum eſt, humorem ſubtiliſſimum ex omni corporis puncto perpetuo tranſpirare, et hanc excretionem ad ſanitatem tuendam maxime neceſſariam eſſe. Nunc in animo eſt rationem exponere, quâ Veſtitus Laneus hanc exhalationem promovere maxime idoneus eſſe videtur.

Experimentis viri inclyti BENJAMINI THOMSON, Equitis Aurati, S. R. S. clare demonſtratur, lanam ovinam, humiditate abſorbendâ, majori vi pollere quam linteum. Summa cum cura, lanæ linteique tenuiſſimi partes æquales, (jam bene ſiccatas), humidiſſimâ cellâ per ſpatium horarum ſeptuaginta duarum expoſuit. Thermometro notante gradum 45° Fahrenheit, poſtea compertum

eſt,

eſt, lanam ovinam plus vaporis aquoſi, linteo imbibiſſe, in ratione 1163 ad 1102; xylino, in ratione 1163 ad 1089 *.

His experimentis conſtat, Veſtitum Laneum aptiſſimum eſſe ad halitum cuticularem, aut ſudorem, (quo tempore occurrat), abſorbendum et abducendum. Exhalatio, lanâ hoc modo abſorpta, ſtatim per eam æque diſtribuitur, ita ut vaſa cutis exonerantur, fibrarum tonus augetur, totum corpus roboratur.

" Si nudum corpus tangant veſtes laneæ," (obſervat clariſſ. VAN SWIETEN), " ab omni corporis " motu frictionis ſpecies excitatur, quæ inſigni- " ter prodeſt."

Habita jam ratione, quâ Veſtitus Laneus corpori commoda conciliat, pauca de linteo ſuperſunt obſervari. Si ullo tempore, (et res ſæpe ita ſe habet), corpus præter modum excitetur, ut ſudor libere manet, veſtitu linteo condenſatur, ſordidus fit et male olens, vaſa cutis eodem implentur, obſtruuntur,

* Philoſoph. Tranſact. Vol. 77.

obstuuntur, tota superficies balneo fœdo objicitur, et maximum periculum insequatur.

Multi sunt qui in conclavibus calidis et aliis locis stipatis diu permanent, et postea subito et sub noctem, cœlo inclementi sese exponunt. Virgines pulcherrimæ in hunc errorem nimis sæpe incidunt. Solent loco calidissimo per tres vel quatuor horas sedere, lusui, saltui, aliisque exercitationibus deditæ; exeunt asperrimâ hyeme de nocte nudato collo, et sæpe plus quam collo; brevi post tempore singula, præ frigore, horret fibra, dentes crepitant, condensatur sudor, vasa cutis arctantur, internas partes petunt fluida, et hoc modo oriuntur febres, catarrhi, anginæ, rheumatismus, fere omnes morbi. Hoc modo frequenter phthisis insanabilis feruntur femina, morbi, (ut celebris auctor memoriæ prodit), quem "*triste sane est mente* "*revolvere quam funestum generi humano fuisset**."

Constat ab historia, Romanorum, Græcorum, &c.

---

* Secundum Tabulas Londinenses, quatuor vel quinque millia singulis annis phthisi corripiuntur.

&c. veſtitum fuiſſe laneum. Hoc nos admonet DAVID HUME, patriæ decus, et in hiſtoria ſcriptor ſagax et elegans. His verbis utitur :

" The only garb of the ancients, both for males " and females, ſeems to have been a kind of " flannel, which they wore commonly white or " gray, and which they ſcoured as often as it be- " came dirty *."

Sed quod magis ad noſtram rem pertinet, Cambro-Britanni, hujus inſulæ aborigines, gens, (quâ nec intrepidior extat), quæ juſſis Naturæ nunquam non paruit, nec vi conſuetudinis, nec artibus luxuriæ perniciosis in errorem inducta fuit, ad hunc uſque diem Veſtitu Laneo plerumque induuntur.

Maximam morborum partem deducebat SYDENHAMUS, ex ſeriori veſtium hybernarum aſſumptione, et maturiori earum depoſitione. Hoc malum hodie multum valet : ſed noſtra regio vix ullam veſtitûs per totum annum mutationem requirit,

* Vide Eſſay on the Populouſneſs of Ancient Nations.

quirit, aut ſi ullam, eam tantum quæ ad externum pertinet; lanam ad cutem habere ſemper prodeſt. Audi BENJAMINUM THOMSON:

"It is a miſtaken notion, that flannel is too warm
"a clothing for ſummer. I have worn it in the
"hotteſt climates, and in all ſeaſons of the year,
"and never found the leaſt inconvenience from it.
"It is the warm bath of a perſpiration, confined
"by a linen ſhirt, wet with ſweat, which renders
"the ſummer heats of ſouthern climates ſo inſup-
"portable; but flannel promotes and favours its
"evaporation *."

Quidam, delicatiori cute præditi, conqueruntur, induſium laneum titillationem aut pruritum moleſtum excitare; ſed brevi poſt tempore, hoc plerumque ceſſat.

Concluſio,

Pauca complectens de illorum conſtitutionibus, quorum maxime intereſt veſtitum aptum ſeligere.

Diverſæ

* Philoſoph. Tranſ. eodem tom.

Diverfæ ætates diverfis morbis opportunæ funt; ætas infantilis Dentitioni, Vermibus, Rachitidi, Convulfionibus, et Strumis; acutis morbis adolefcentia; fed longis, uti Tuffi, Hydropi, Afthmati, Obftructionibus, fenectus patet. Morbis æque ac divitiis parentum liberi fæpe fuccedunt; a quadam enim hæreditaria folidorum et vaforum minimorum ftructurâ, prædifponitur corpus ad Phthifin, ad Calculum, ad Podagram, Epilepfiam, Strumam, &c.

Quidam, ex parentibus catarrhofis geniti, eidem obnoxii funt: Alii, ex nullo parentum vitio, fed ex fua mala conformatione in catarrhum proclives, ii fcilicet qui thoracem anguftum et planum habent, qui gibbofi funt, et qui toto corpore debiles, flaccidi, et frigidi; ii demum huic malo magis obnoxii funt, qui eo, quacunque ex caufa, jam fæpius laboraverunt, præfertim fi morbus antea infeftans, tuberculum vel vitium quoddam in pulmonibus reliquerit: Tales fere toto anno catarrhofi funt, ingentem limpidi humoris et muci copiam, naribus ac faucibus quotidie emungentes et exfpuentes.

Ubicunque frequentibus et ſubitis cœli mutationibus affueſcitur, multi morbi, initio acuti, in chronicos vel periodicos convertuntur. Hoc in Britannia quotidie obſervatur; ægri tempore æſtivo bene ſani, hyeme redeunte, in morbos priſtinos relabuntur.

Hydropici cutis plerumque arida eſt, (recte admonet egregius DONALDUS MONRO), *perſpirabili* fere omni vapore in cavum hydropicum effuſo: Diaphoreſi igitur auctâ, detrahitur hydropis materies, et ſanguis a nimio ſeroſo humore repurgatur. Evocandus igitur eſt ſudor, non ſolum medicamentis, ſed aëra frigidum arcendo, et ſuperficiem corporis calidam ſervando.

Iis quorum corpora malum vitæ genus aliæque cauſæ nimis laxârunt atque ſolverunt, iis quorum partes ſolidæ corporis vi morborum quorundam præcedentium relaxantur ultra modum, et debiles et flaccidæ fiunt, ad vitæ munera parum valentes, Veſtitus Laneus debilitatem et laxitatem corripit, et partes ſolidas ad priſtinam ſanamque firmitatem reducere plurimum confert.

Summa

Summa tribuantur encomia noſtris rerum publicarum curatoribus, quod milites, novo veſtitûs genere, adverſus hyemis ſævitiam ita muniuntur, ut multa mala quibus ſolebant laborare, abſunt. Noſtræ legiones olim quo tempore udiſſimis locis Galliæ Belgicæ pugnabant, fere ſemper erant ægrotiſſimæ *; nunc, ſi vel prælio vel itinere perpeſſæ ſint, ſalutem ſervant. Hoc modo multa millia hominum, patriæ utilium, ſervantur, multumque commodi reipublicæ redditur.

Hujus rei veritatem teſtatur etiam Dr RUSH, verbis ſequentibus: "Thoſe officers who wore "flannel ſhirts or waiſtcoats next to their ſkins, in "general eſcaped fevers, and diſeaſes of all kinds†."

Paucis abhinc annis hoc veſtitu uti incepi; et certe credo, hoc ſolum, me ſæpius degentem ſub frigido cœlo, et omnibus injuriis aëris et viciſſitudinibus obviam incedere coactum, morbis pectoris

 gravioribus,

* Vide Illuſt. Pringle de Morbis Exercitûs.

† Obſervations on the Diſeaſes in the Military Hoſpitals of the United States of America during the late war.

gravioribus, olim minitantibus, ſalvum et liberum ſervâſſe.

Quidam (nec parvi nominis) exiſtimârunt, Veſtitum Laneum ſenectutem prementem depellere, et vitam ultra terminum naturalem protrahere poſſe. Audi quod eximius DARWINIUS de hoc obſervat.

"To thoſe who are paſt the meridian of life,
" and have dry ſkins, and begin to be emaciated,
" a flannel dreſs is peculiarly adapted to increaſe
" the irritability, and to moiſten and ſoften the
" ſkin, and the extremities of the finer veſſels
" that terminate in it; and in this way may be
" eminently ſerviceable in retarding the advances
" of age. The warm bath has contributed much
" to this effect, and a flannel dreſs may act as a
" *fotus ſiccus* *."

Eruditiſſimus WHYTT etiam obſervat,

"When the ſtomach and bowels are weak,
" the body ought to be well guarded againſt cold,
" eſpecially

* Botanic Garden, p. 39. part 2.

"especially in winter, by wearing a thin flannel "waiſtcoat next the ſkin; for this will keep up an "equal perſpiration, and defend the alimentary "canal from many impreſſions it would be other-"wiſe ſubject to, upon any ſudden change from "warm to very cold weather *." Vix ullas autem corporis partes magis a frigore cuſtodire oportet, quam pedes; ſunt enim illi a fonte caloris naturalis remotiſſimi, et per fabricam ſuam præ aliis partibus ſenſui frigoris obnoxii.

Parum eſt neceſſarium hoc loco multa de Arthritide obſervare, quoniam credo, paucos eſſe arthriticos, qui non lubenter agnoſcent, ſe multum commodi ab induſiis laneis accepiſſe.

Quod ad infantum veſtitum pertinet, eruditus Cadogan (nuper e medicis Orphanotrophii Londinenſis), de hac re tam luculenter diſſeruit, in ejus diſſertatione ingenioſa, "An eſſay on the management of children," ut optimum fore puto, illi lectorem relegare.

Multæ

* Whytt on Nervous Diſorders, p. 351.

Multæ ſagaces obſervationes etiam obtinendæ ſunt, e diſſertatione inaugurali ingenioſa GEORGII LOGAN, "De morbis infantium arcendis et cu-"randis." Quod de cura Rachitidis, morbi infantibus tam dira, obſervat, notatu dignum eſt; liceat ejus verba tranſcribere: "Quemcunque "Rachitis male habet, induſia lanea geret, quæ "non ſolum ut a frigore tutus ſit efficiunt, ſed "diaphoreſin continuam, qua nihil melius aut op-"tabilius in hoc morbo contingere poſſit, leni "cutis frictione, movere ſolent."

Ex hiſce facile intelligetur quantum ad ſanitatem mortalium pertinet, Veſtitum curare.

Juvenibus quam ſenibus, viris quam fœminis, firmis quam mollibus et delicatis, Veſtitus Laneus haud minus prodeſt. Stimulo ſaluberrimo, viribus muſculorum opitulari videtur, ſanguinis curſum certe juvat, actionem vaſorum reſorbentium multum promovet, exhalationi per cutem favet, et generalem ideo vigorem corpori conciliat.

FINIS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCORBUTO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SCORBUTO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS RANDLE SHAPTER, A. M.

ANGLUS:

COLLEG. CHIRURG. LONDIN. SOC.

SOCIET. PHYSIC. LONDIN. SOC. HON.

ET,

LEG. EQUIT. BRIT. SEPTENT. REG.

CHIRURGUS.

Ad diem vi Aprilis hora locoque solitis.

"Ora notat pallor, macies in corpore toto est,
Et tetrico in vultu mortis imago sedet."

Buchanan. Elegiar. Lib. eleg. I.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.XCII.

C

VIRO

ERUDITO ET SPECTATISSIMO

DAVIDI HOME,

ARMIGERO,

EX TRIBUNIS

MAGNAE BRITANNIAE COPIARUM

UNI;

REGII EQUITATUS BRITANNIAE

SEPTENTRIONALIS

PRO TRIBUNO;

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

GULIELMUS RANDLE SHAPTER.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE SCORBUTO.

QUAECUNQUE natio in commerciis rebusque bellicis versari consuevit, ea vitam valetudinemque nautarum et militum, ut pote quod summi sit momenti, commodam omni, quae potest adhiberi, ratione haud dubie debet conservare.

Nemini, qui ulla misericordiae portiuncula sit praeditus, non dolori acutissimo esse potest, cum, quot fortium virorum millia, flore aetatis et vigore gaudentia, strage, quam ediderit scorbutus, horrenda fuerint rapta, secum considerat. Cum in classibus et exercitibus semet ostendit, multo quidem plures occidit, quam pugnae cruentissimae terra factae, vel summa tempestatum foedissimarum, quae mari saeviunt, violentia absumere potuit. Ita medici, utilitati politicae consulentes, et humanitate impulsi, in natura hujusce morbi exitiosi foedique investiganda, et in remediis, quae ei accommodatissima sunt, excogitandis operam diligenter posuerunt; nec hoc, quod illis laudi dandum est, frustra fecerunt, namque, non tantum curationem ejus certam citamque, sed etiam auxilia, quibus principiis ejus efficaciter occurri, et valetudo prospera conservari potest, feliciter invenerunt.

Conditionem ejus praxeos, quae hoc in morbo, in praesentia adhibetur, excultam observationibus, viri in primis celebris, Lind sagacissimis, quas ab experientia propria, longe lateque patente, deduxit; et exemplum ejus rationis quae morbo venienti occurit, illi circumnavigatori illustrissimo, praefecto Cook, magna ex parte, debent mortales, et grates illis dignas persolvere nunquam valebunt.

DEFINITIO.

Scorbutus autem a CULLENO ita definitur. "In regione frigida (*a*), post victum putrescentem, salitum, ex animalibus eonfectum, deficiente simul materia vegetabili recente (*b*); Asthenia; stomacace; in cute maculae diversicolores, plerumque livescentes, praesertim ad pilorum radices." (*c*).

(*a*) Quanquam scorbutus in regionibus frigidioribus plerumque generatur; exempla tamen non desunt, ubi in plagis orbis terrarum calidioribus semet ostendit. Classes ad Indiam orientalem navigantes frequenter infestavit (*aa*). In classe viri nobilis ANSONII dum littus Mexiconis legebat (*bb*); et in ea, cui praefuit ille domitor Gallicae superbiae inclytissimus, dum in India erat occidentali, saevit (*cc*).

(*b*) Scorbutus nonnunquam sese in conspectum dedit, dum diaeta e materia vegetabili ex toto constabat. Stark periculis in se ipsum factis, notas scorbuti a diaeta, e pane aquaque, quibus oleum olivae fuit adjnnctum, confecta, mensibus Augusti et Septembris, oriri compertus est (*dd*). Quinetiam Milmannus duarum paupercularum mentionem injicit, quae in scorbutum, propterea quod infuso theae et pane victitarunt, gravissimum iuciderunt (*ee*).

(*aa*) Clark on Hot Climates. (*bb*) Walter's Account of Lord Anson's Voyage. (*cc*) Blane's Diseases of Seamen. (*dd*) Stark's works, p. 105. (*ee*) Milman, p. 24.

(*c*) Genera Morborum Culleni, p. 294.

HISTORIA MORBI.

STADIUM PRIMUM.

Scorbutum accedere clare manifesteque testantur languor motusque aversatio, quae brevi excipit lassitudo universa, quae, e somno, quam ante eundem inchoatum, evidentius sentitur (*a*). Respiratio nisu etiam levissimo opprimitur, qui etiam cordis palpitationem facit. Genua, exercitatione adhibita, rigescunt et languescunt. Vultus moestus est, et speciem animi demissi prae sese fert. Facies frequenter pallescit et inflatur, et prout morbus progreditur, colorem magis fuscum lividumque sibi assumit. Labia et caruneulae oculorum, ubi vasa sanguifera visu faciliora sunt, colorem subviridem habent. His proxime succedunt gingivarum pruritus, tumor ruborque insigniter lividus. Deinde brevi molles et spongiosae evadunt, et frictioni levissimae objectae sanguinem profundunt. Anima plerumque foetet. Cutis est arida, laevis, splendida. Nonnunquam vero, praesertim si febris subsit, est aspera et anserina. Si eam accuratius aspicias, maculae non parum mole variantes, figura abnormes, supra superficiem non elevatae, colore aliquantum rubrae, caeruleae, vel nigrae et lividae, variis in corporis partibus, detegi possunt. Caput faciemve raro; brachia, pectus et truncum frequenter; crura vero et femora saepissime occupant. In conspectum se dat artuum inferiorum tumor, primum fugax, circa suras tantum apparens, vespere appetente; sed brevi con-

(*a*) Milman.

ſtanter oedematoſus evadens, et gradatim in membrum univerſum ſemet diffundens.

Si ulla adſint ulcera, hoc morbo plurimum adfici conſueverunt, et eum accedere nonnunquam in primis indicant, pelliculas generantia, et materiam tenuem, foetidam ſanguini admiſtam profundentia, quae in ſuperficie eorum cogitur. Margines prominentes evadunt, et colorem lividum habent. Morbo pergente apparet fungus mollis, ſanguineus, qui toties, quoties deletur, iterum, paucis horis, repullulat.

STADIUM SECUNDUM.

Per hujuſce ſtadii decurſum, muſculi crurum flexores rigidi et contracti fiunt; et, genubus magnitudine adauctis et dolentibus, uſu artuum inferiorum privatur aegrotus. Multis, qui hoc morbo conflictantur, crura in molem mirandam intumeſcunt, et vel maculas lividas, vel tumores induratos, dolore excruciante ſtipatos, oſtendunt. Caeterum aliis, ſine ullo auctu ſenſibus percipiendo, omnino indureſcunt (*a*). In eos nunc frequenter invadunt languor et moeſtitia, et exercitatione in aliquantum temporis intermiſſa, motus corporis etiam minimus, ut animi deliquium accedat, facit. Diatheſis Aſthenica conſtanter ſubeſt, et, per hoc morbi ſtadium, maniſeſtiſſime deſignatur. Pulſus arteriarum variant, a habitu corporeo aegrotantis ſingulari pendentes; ſed plerumque minus frequentes magiſque languidi quam ſanitate ſubſtante, eſſe reperiuntur. Species, quam facies prae ſeſe fert, magis ſaturnina evadit, et frequenter fato, momento,

(*a*) Lind, p. 116.

concedunt aegroti dimoti, vel aëri puro objecti. Dolores in variis corporis partibus habent, qui ſedem ſaepe mutant, ſed ſaepius in pectore fixi manent, tuſſiendo multum adaucti, et gradu dyſpnoeae non parvo ſtipati. Gingivae, hoc tempore, inſigniter fungoſae, dolentes, et, quibuſdam in exemplis, profunde ulceratae et ad gangraenam proclives evadunt. Quinetiam, praecipue per hoc ſtadium, ex iiſdem, ut quoque e naribus, pulmonibus, inteſtinis, renibus, vaſis haemorrhoidalibus, et ulceribus varias corporis partes tenentibus, profuſius certiuſque profluit ſanguis. Nonnunquam ex ano ſanguis effertur, nec faecibus alvinis admiſtus, nec torminibus ſtipatus. Multo ſaepius vero, hoc tempore, dyſenteria cum dolore graviſſimo aegrotum, infelicem in ſtatum debilitatis miſerandae redigere ſolet. Dentes ſoluti evadunt frequenterque fluunt, quod aliquando, quanquam rarius, ſubſequitur maxillae caries (*a*). Per totum hujuſce ſtadii progreſſum, appetitus, in numero exemplorum longe majore, immutatus manet. Quanquam aegrotantes moeſti animoque demiſſi ſunt, ſenſus illis integri manent. Et non pauci, niſi dyſenteria ſputove copioſiore laborant, nihil doloris, dum quiete fruuntur, ſentiunt, vel eum ſaltem non conqueruntur.

STADIUM TERTIUM.

Quae ſpecies miſeriae nunc ſeſe oſtendunt, eae multiplices ſunt, et non, ſine difficultate et dolore, poſſunt depingi. Cicatrices priſtinae recens exulcerantur, callus fracturarum molleſcit; tumores crurum cutem, donec rumpatur, diſtendunt, praeſertim iis in

(*a*) Van Swieten Comment. Boerhaav. Aphoriſm, 1151.

locis, ubi tumores molles, lividi, dolentes ante fuerunt notati, et cito in ulcera, qualia fupra fuerunt defcripta, foeda, fanguinea et fungofa convertuntur. Modo febres petechiis et evacuationibus, praefertim fanguinis, e vafis excernentibus diverfis, quae corpus magnopere digerunt ftipatae; modo icterus, hydrops et hypochondriafis confirmata; modo colica alvufque pertinaciter adftricta exitum hujufce morbi funeftum comitantur. Frequenter fpatio breviffimo, antequam hic morbus ad finem perducitur, accedunt fenfus ftricturae, magna pectoris oppreffio, et fpiritus admodum difficilis, dolore fubter fternum vel in uno laterum, ftipatus. Aliis temporibus, fine ullo doloris fenfu, fubito et infperato decedit aegrotus.

Hujufcemodi funt notae praecipuae, quibus progreffus hujus morbi regularis infigniri confuevit; fed, vel ob idiofyncrafin, nexum quem cum aliis morbis habet vimve morbi, qui eo tempore epidemice graffatur, nonnunquam abnormis eft.

CAUSAE REMOTAE.

Hae, judicio noftro, non apte, uti fieri confuevit, in praedifponentes et excitantes, vel feminia et poteftates nocentes, dividi poffunt, namque ad eundem in conftitutionem corpoream effectum, recta minufve recta, edendum, id eft, ad debilitatem faciendam, conferre videntur. Et cum forfitan, ut duae plurefve morbi, de quo agitur, progenerandi caufa conjungantur neceffe fit quaelibet caufa fingularis, prout aliam praecedit fubfequiturve, excitans vel praedifponens appellari poteft. Difcrimen igitur ut dubium parumque neceffarium, omnino repudiabo.

Frigus et humiditas, ſive in medio oceano, ſive intra moenia praeſidii, aliis cauſis poſtea memorandis adjuncta, in hoc morbo faciendo potenter agunt. Apud Batavos, antequam paludes eorum prorſus emiſſae et exſiccatae fuerunt, ſcorbutus tempeſtate hyemali epidemice frequenter graſſatus eſt, vi ejus exitioſa in ordines populi inferiores tantum agente; dum illi, qui domorum calidarum ſiccarumque ſolatiis fruiti ſunt, et cibo ſalubri uſi, ſtragem, quam dat, horrendam omnino effugerunt. Quinetiam idem, cum in claſſes exercituſque invadit, notatur: Milites enim gregarii nautaeque inclementiae coeli conſtanter objecti, magno numero rapiuntur; dum eorum praefecti hoc malo in ultimis afficiuntur, adverſus id diaeta meliore, et veſtimentis ſiccis et callidis defenſi (*a*).

Penuria cibi, is, qui parum nutriminis praebet, vel talis, qualis concoctu difficilis eſt, ſunt cauſae hujuſce morbi maxime communes, praeſertim ſi prioribus fuerint conjuncta. Quanquam ii, qui cibo ex toto deſtituti ſunt, vitam, in longum temporis ſpatium, nonnunquam produxerunt, et, nonullis in exemplis, huic inopiae ſuperſtites fuerunt; cum tamen exitio eſt, mortem eorum aſſidue praecedunt ſigna ſcorbuti (*b*). Alimentum, parum nutrimenti ſufficiens, ſive e materia vegetabili animalive conſtet, ſcorbutum facit.

Saepiſſime vero a diaeta concoctu dificili proficiſcitur, qualis nautis propria eſt, quae compoſita eſt e farina vegetabilium, quae nihil fermentationis ſubiit, ad

(*a*) Donald Monro on the deſeaſes of the Army. p. 252. Milman. P. 31. Lind P. 72.

(*b*) Hiſtoire de l' Academie des ſciences de Paris, l' Anné 1756 p. 49, et 1761 page 27.

gradum usque duritiei permagnum cocta; et e piscibus et carne, per sal diu conservatis, in quae ventriculus difficillime agit, quaeque, portionem nutriminis exiguam, pro mole, praebent. Quidam posuerunt, sal, quo cibus eorum imbutus est, unicam morbi esse causam. Hanc notionem autem a vero longe deflectere hoc plane evidenterque testatur, quod scorbuto laborantes aquam marinam, ut in auxilium multorum aliorum morborum promptam, sine ullo sui morbi auctu, biberunt (*a*). Nec operarios in salinis hoc morbo, ulla ex parte, affici comperimus.

Inertia et desidia ad scorbutum generandum magnopere faciunt. Nauta impiger et strenuus, agricola laboribus duris deditus, et eques impetui ejus diu obsistunt; dum milites classiarii, opifices vitam sedentariam agentes, et pedites, non satis exercitationis adhibentes, brevi corripiuntur violentiaeque ejus facillime cedunt. Qui mortales vitam laboriosam diu degerunt, et, eam statu otii pigritiaeque mutarunt, ii in scorbutum frequenter incidunt, ut in epistola sua ad Lind notavit celebris Linnaeus. "Fabri," inquit, "Et metalli fossores, qui quotidie sudore diffluunt, sudorem effundunt muriae instar, salsum, si digito abstergas et gustes, nec tamen aegrotant; si vero laedantur, ut lectum chirurgi aliquando petant et quiescant, dum consolidatur vulnus, interim scorbuto, saep us ita inficiuntur, ut vix evadant" (*b*).

Contra, exercitatio violenta, vel tam diu adhibita, ut defatigationem faciat, vires corpori convellit, et non minus perniciosa est. Scorbutus in classibus exercitibusque apparuit, ubi causa ejus praecipua nulla alia

(*a*) Lind Part. 2. Chap. 1. (*b*) Lind. p. 284

esse visa est, quam labor durus protractiorque, et intervalla quietis justo breviora.

Quidam animi affectus vim hoc in morbo summam habent. Ortui ejus favent, et progressum accelerant anxietas, moestitia, desperatio. Exempli gratia, cum nautae, tempestatibus numerosis et diuturnis exagitati, de reditu ad patriam tuto, ob res quaslibet fortuitas, animum despondere incipiunt; vel cum auxilium ab obsessis diu expectatum, et jam quam proxime accedens, subito tollitur et omnino frustratur, spes momento evanescit, et languidi debilesque viso isto amico, sed fallente et fugace, hucusque exhilirati et sustentati, malo venienti repente succumbunt, et victoriam facilem, et sine luctamine fere, inimico funestissimo relinquunt.

Si vero, contra, res longe aliter se habeant, et grata et accepta attentionem eorum in sese iterum feliciter convertant, fortitudo illis redit, nisus renovant, et cum malo colluctantes id vel ex toto depellunt, vel violentiam gravitatemque ejus retardant, donec, rebus circumstantibus mutatis, omnino restituantur.

Omnes hae causae violentius agunt, et signa lethalia citius certiusque movent, si ulla injuria valetudini, per morbos antecedentes, fuerit illata, viresque corpori convulsae ut cum aegroti in febres frequenter, reciderunt, et ex iisdem convaluerunt.

CAUSA PROXIMA.

Causam hujusce morbi proximam, de qua auctores celeberrimi tam diu tamque acriter certarunt, admodum invitus propono. Nulla causae proximae notio adhuc pro certo est recepta, quaeque tradi solet, ea hypothesi merae plerumque innititur. Igitur minime

mirandum eſt, apud medicos ſuper ea haudquaquam conveniſſe. Si cauſa proxima aut continens talis ſit, qualis a Gaubio celeberrimo depingatur, (*a*) "quae" nempe "morbum ita efficiat, ut, illa poſita, hic ponatur, durante duret, mutata mutetur, ablata tollatur"; evidens manifeſtumque eſt, omnem ejus notitiam a cauſis remotis rite inveſtigatis, a ſignis, et effectibus remediorum diligenter conſideratis, et ab iis, quae in conſpectum dant inciſiones cadaverum, deduci oportere. Cum ad hunc inveſtigationis modum in morbo, quem exequimur, decurrimus, omnes ejus cauſas remotas ad ſyſtema univerſum debilitandum recta minuſve recta conferre; ſigna hanc debilitatem clare perſpicueque demonſtrare; quod effectibus remediorum adhibitorum notiſſimis amplius etiamnum firmatur, facile comperimus. Quinetiam cadavera ſecta ſequelas debilitatis evidenter oſtendunt. Muſculi molles, et lacer atu vi etiam minima faciles, reperiuntur; epiphyſes et cartilagines oſſium ſolutae ſunt, et ſanguis in diverſis corporis partibus effuſus.

Putredinem ſanguinis pro cauſa hujus morbi proxima haberi debere nonnulli auctores aſſeruerunt (*a*); hoc vero recipi nequit, quoniam vitae animali adeo adverſum eſſe videtur, ut eam haud dubie extingueret. Inſuper ſanguis detractus, ut experientia teſtatur, firmiter cogi ſolet; quod non incideret ſi revera putridus foret. Caeterum mutationem humorum, quae a conditione eorum communi diverſa eſt, revera incidere poſſe, animus mihi non inclinat ut negem, quod partes continentes raro multum laedi, quin humores

(*a*) Gaubii Pathologia §. 61.

(*a*) Pringle on the Diſeaſes of the Army. p. 401.

quoque, quos comprehendant, a ſtatu ſolito aliquantum aberrent, credo. Qualis vero haec mutatio ſit, cum nullam ejus notionem claram habeam, dicere non audeo. Igitur nihil aliud quam cauſam proximam in medium proferam, quae, ſi non omnino accurata ſit, meritum tamen nudae ſimplicitatis habet. Liceat ergo, ſed ea, quae juvenem decet, modeſtia, dicere, cauſam ſcorbuti proximam in ſtatu debilitatis corporis univerſi ſingulari conſiſtere.

RATIO SIGNORUM.

1. Languor, motus averſatio, laſſitudo univerſa. Haec omnia ab eadem cauſa, debilitate nempe fabricae corporis univerſae, proficiſcuntur. Muſculi in actionem difficulter adducuntur. Quinetiam excitata debilis eſt, diu continuari nequit, et eam brevi excipit defatigationis ſenſus, qui nonnunquam, ſine ullo niſu antecedente, ſolet accedere, et non, in morem laſſitudinis exercitatione inſolita factae, ejuſve quae febrim comitatur, ſomno vel poſitura horizontali levatur. Quae omnia eum a gradu debilitatis conſtante, et vigore poteſtatis vitalis diminuto, pendere clare probant.

2. Spiritus difficilis cordiſque palpitatio.—Circuitu ſanguinis per actionem muſculorum adauctam accelerato, motus cordis et pulmonum quoque, pro rata parte, adaugeatur neceſſe eſt. Hoc in valentiſſimis et valetudine commodiſſima fruentibus etiam aliquantum dyſpnoeae facere notamus. In exemplo vero praeſente, infirmitas muſculorum, qui reſpirationi inſerviunt, aliis corporis muſculis propriae conjuncta, tranſitui ſanguinis per pulmones libero amplius etiamnum ob-

ſiſtit. Spiritum difficilem autem ab hac cauſa, et non ab ullo vitio organico, oriri abunde teſtatur abſentia ſignorum uſitatorum, quae affectus pulmonum morbidos ſubeſſe demonſtrant. Cor quoque, ob fluxum ſanguinis in ventriculum dextrum adauctum, et renixum a pulmonibus factum, violenter agere cogitur; ſed actio ejus, cum, in modum reliquarum partium, debilitatum ſit, convulſiva et abnormis evadit, et ita palpitatio progeneratur.

3. Tumor, pruritus, rubor, et haemorrhagia gingivarum; et animae foetor.—Priorum ſignorum cauſa evidenter eſt laxitas gingivarum inſolita, quae congeſtioni ſanguinis favet. Vaſa diſtenſa pruritum et ruborem progignunt, et injuria etiam leviſſima iis illata tunicas, ob magnam teneritatem, rumpit, et profuſionem ſanguinis non modicam facit.

Quantum ad foetorem animae ſpectat, is effluviis materiae putridae e gingivis exudantibus a quibuſdam auctoribus fuit tributus (*a*). Caeterum, ut opinamur, nos ſuffulcit analogia, cum eum a morbida ſalivae mutatione (*b*), vel ab exhalatione pulmonum oriri ponimus. Namque neminem latet, rem in hominibus ita ſeſe habere, qui nullo gingivarum, vel ullius oris fauciumve partis, affectu laborant, praeſertim poſtquam cibo diu abſtinuerunt, poſt mercurium adhibitum, vel dum menſtrua ſolito tempore foeminis proveniunt.

4. Maculae cutis.---Hae a ſanguine e vaſis eundem vehentibus effuſo, vel ecchymoſi, originem deducunt. Vaſa debilitata, et viribus a tergo vel effectibus preſſurae fortuitae non amplius reſiſtere valentia,

(*a*) Milman, p. 83. (*b*) Lind, p. 169.

rumpuntur, et ſanguinem quem comprehendunt, in telam celluloſam vicinam profundunt. Vir celebris Van Swieten memoriae prodit, ſe, cum carpum aegroti ſcorbuto laborantis, arcte potius, contrectaſſet, ut ictus arteriarum numeraret, veſtigia digitorum in cute decolorata proximo die, detexiſſe (*a*).

5. Tumores dolentes lividi artuum inferiorum, et praeſertim genuum.—Reditus ſanguinis, etiam ſanitate ſubſtante, ſemper magnopere, corpore erecto, impeditur. In ſcorbuto igitur, ubi vaſa ſanguifera, praeter conſuetudinem debilitata et relaxata, humores, quos vehunt, poteſtate ſolita propellere nequeunt, ponderi columnae aſcendentis cedant, et magnopere diſtendantur oportet. Hinc proficiſcuntur tumores, dolores, cutis decoloratio.

6. Dolores partium diverſarum fugaces.—Hi a vaſis, ob laxitatem, nimis diſtenſis oriri videntur; namque eos, ſanguine effuſo, levari plerumque notamus.

7. Sanguinis e variis corporis partibus profuſiones.—Vaſa, per extrema hujuſce morbi ſtadia, adeo infirma evadunt, ut, quod ſupra fuit comprehenſum, viribus a tergo cedant, et ſanguis e finibus eorum erumpat.

8. Cicatrices ulcerum, et calli oſſium diſſoluti. Hae partes, cum reliquis corporis comparatae, pro infantilibus vel infirmis, et per injurias affectu, vel debilitatu, prout minus principii vitalis poſſident, facilioribus habendae ſunt. Quandocunque igitur corpus exhauſtum eſt, et detrimentum, quod partes ejus conſtituentes capiant, penſare nequit, hae

(*a*) Van Swieten Comment. Boerhaav. Aphoriſm, 1151.

primae perduntur, femet fuftentare minime omnium valentes.

9. Ulcera foeda, fanguinea, fungofa.—Haec profluunt a magno atoniae vaforum gradu, quae fana et valentia pus bonum fecernunt; fed nunc faniem fanguinolentam profundunt; quae in fubftantiam textura firmam, toties, quoties arte deletur, redeuntem, non raro cogitur.

DIAGNOSIS.

Hic morbus a quolibet alio, per notas in definitione fupra traditas, tam facile fecernitur, ut verbum unum etiam fuper ea, hoc in loco, amplius addere fupervacaneum effe ducam.

PROGNOSIS.

Quod de eo hujufce morbi, qui maxime probabilis eft, exitu opinari debemus, id a fpatio temporis, per quod manfit, et ab aetate ftatuque valetudinis aegroti, antequam acceffit, rite confideratis pendeat neceffe eft.

Si morbus parum progreffus fecerit, vel licet adeo provectus fit, ut ftadium fignorum fecundum apparere inceperit; nihilominus tamen, fi crura non adeo tumefacta vel contracta funt, ut poteftatem exercitationis adhibendae adimant aegroto, in primis probabile eft, diaetam idoneam mutationemque fitus eum brevi ad fanitatem effe reducturas, praefertim fi junior eft, et non morbis antecedentibus, vel acceffionibus hujus ipfius mali prioribus, debilitatus.

Alvus usu vegetabilium soluta, cutis mollis et humida evadens, maculae lividae colorem flavum sibi gradatim assumentes, et species, quam vultus prae sese ferre solet, rediens, salutem ex toto restitutum iri promittunt.

Si vero morbus mansit, donec signa accesserint violentiora, qualia sunt durities alvi pertinacissima, quam exceperint dejectiones copiosae et sanguinolentae; syncope frequens; maculae cutis nigrescentes, et gingivae profunde ulceratae; haemorrhagiae profusae, et magna respirationis oppressio et difficultas, in summo periculo versatur aegrotus, et mors ejus frequenter admodum subita et insperata est. Aliis vero temporibus in hydropem, dysenteriam, aut phthisin pulmonalem desinit morbus.

PROPHYLAXIS.

Cum remedia, in auxilium hujus morbi formidolosi prompta, multis in locis, minime parabilia sint, et aliquando neutiquam possint comparari, summi momenti est; ut ad omnia, quae morbo venienti possunt occurrere, decurratur. "Quod ad curam attinet, facilius multo est morbo huic venienti occurrere, quam illum depellere: cum enim corpori semel insederit, difficillime medicinam sentit" (*a*).

Effectuum rationis, quae accessionem morbi retardat aut praecavet, utilium exemplum nobilissimum suppeditant ea, quae a viro clarissimo praefecto Cook, dum triennium in orbe terrarum circumnavigando consumpsit, in usum revocata sunt. Summa ejus attentio et di-

(*a*) Mead. Monita et Praecepta Medica. Cap. XXI. Pag. 227

ligentia indefessa in regulis, huic consilio praescriptis, adhibendis successum illum prosperrimum habuerunt, qui conatus illius jure celeberrimi navigatoris comitari consuevit.

Neminem autem fugere potest, rationem morbo occurrendi in obsistendo caussarum remotarum actioni consistere oportere. Cum hae variae sint, auxilia quoque, ad quae iis adversandi caussa confugi debet, varia sint necesse est.

Certissimae hunc morbum a mortalibus avertendi rationes sunt corpus calidum, siccum mundumque servare, et exercitationem et diaetam idoneas neglectui nunquam habere.

Qui classibus et exercitibus praesunt, ii, dum commoditati curae suae demandatorum et solatio consulunt, eodem tempore ad valetudinem eorum illibatam conservandam magnopere conferent.

Si res fortuitae, vel natura militiae eos aëris frigidi humidique inclementiae objiciat; cura agatur, ut vestimenta calida, et indusia linea a sordibus bene repurgata, et frequenter mutanda, illis sufficiantur. Ad lectos aër purus libere adspiret, et loca, quae teneant, sicca et calida constanter serventur. Exercitationem singulis diebus adhibeant; sed omnis nisus, qui defatigationem facit, caute defugiendus, praesertim ab iis, qui tantum e morbis praecedentibus emergunt. Diaeta concoctu facilis sit, et satis nutriminis praebeat. Cibi animalis et vegetabilis mistura maxime convenit. Si vero situs talis sit, ut nihil praeter piscem carnemque duram et salitam possit comparari, solutio eorum in ventriculo, eadem aqua recente liberaliter diluendo, facilior reddatur. Successum suum prosperum in malis scor-

buti evitandis, munditiae copiaeque bonae aquae potiſſimum tribuendum judicavit vir, laudibus ſummis conſtanter efferendus, Cook. Cum in longis navigationibus aqua recens deficit, ex aqua marina diſtillatione ellici poteſt, et palato gratior reddi, eandem aëri fixo acidove fructuum ſucco imbuendo. Cereviſia bona, pura, bene fermentata, pomaceum, infuſumve bynes recens, quale a viro claro M'Bride laudatur, copioſe adhibeatur. Dotes antiſcorbuticas ejus cereviſiae, quae e pinu Americana et faecibus ſacchari praeparatur, ſummis laudibus tollet vir celebris Lind (*a*). Varia e materia vegetabili praeparata, qualia ſunt conſervae, uti appellantur, et conditus e variis fructibus, ut limoniis, aurantiis, &c. confecti laudantur, et haud dubie, ſi cum ratione jam propoſita fuerint conjuncti, proſunt. Aliter parum fiduciae in illis collocandum (*b*). Qui e morbis longis et gravibus convaleſcunt, et igitur multum debilitantur, ii potiſſimum attendendi, et omni ratione corroborandi ſunt ; quoniam in ſcorbutum incidere magnopere periclitantur.

Cum vis imaginandi triſtis, deſperatio et moeſtitia ad proclivitatem ad morbum, quem exequimur, augendam magnopere conferant, omnes rationes ſunt adhibendae, quibus animus a malis, quae ſubſunt, abduci, et hilaritas jucunditaſque moveri poſſunt. Ut ad omnia, quae excogitari queunt, oblectamenta decurratur et ſpes levaminis ſubitanei et efficacis foveatur, ſumma confidentia ſuadendum eſt.

(*a*) Lind, p. 178. (*b*) Milman, p. 42.

Regulis ſupra traditis rite obſervatis, ſcorbutus raro invadet, et vitae multorum fortium, qui patriae pugnas faciant, et commercia ejuſdem diffundant, conſervabuntur.

RATIO MEDENDI.

Remedia, in auxilium hujuſce morbi prompta, numeroſa ſunt, effectus tantos edunt aegrotumque miſerandum tam ſubito ſaepe reſtituunt, ut reditus ſalutis pro prodigio fere poſſit haberi.

In primis, ſi fieri poteſt, aegrotus ab aëre frigido humidoque ad eum, qui purus, calidus, ſiccuſque eſt, removendus eſt. Ille ſaltem ignibus, vel veſtimentis calidis corrigendus. Aegrotus vero non ſubito tolendus, et aliquantum vini ei antea dandum, ne ſubito concidat animamque exhalet, ut in nonnullis exemplorum, quae memoriae tradiderit celebris Lindus, incidit. Quod ſupra de diaeta et exercitatione, cum de prophylaxi agebatur, diximus, idem in curatione morbi nunquam neglectui habendum.

Fructus, olera, ut cochliaria, naſturtium &c., pro ſpecificis, hoc in morbo, habentur. Aegro liberaliter ſufficiatur juſculum, e carne recente confectum, in quo cocta fuerunt haec vegetabilia. Quodcunque bibit, id ſucco limoniorum aurantiorumque imbuatur, et abunde expleatur id vegetabilium et fructuum maturorum deſiderium, quo conſtantur inflamantur hoc morbo laborantes. Namque experientia demonſtravit, nonnullos, qui e navibus fuerunt expoſiti, hoc morbo tam graviter laborantes, ut nulla omnino ſalutis ſpes po-

tuerit foveri, gramine loco, ubi cubuerunt, circumdato devorato, brevi convaluisse. (*a*).

Ut ad lac, praesertim in exemplis magnae debilitatis, confugiatur, suadent Boerhaavius et Lindus. Caeterum, me judice, caute dari debet, ne diarrhoeam progignat, praesertim in iis, qui diaetae solidiori fuerunt assuefacti, et aliquid magis stimulans requirunt (*a*).

Si alvus non hisce rationibus soluta servetur, ad medicamenta decurrendum est, quae leniter agunt, qualia sunt decoctum tamarindorum vel prunorum, chrystalli tartari, electuarium lenitivum, &c. Plurimum nocent magnae evacuationes, potissimum sanguinis detractio, qua constanter debet abstineri, quoniam eam adhibitam mors aegroti excipere consuevit. Quam evacuationem optime ferunt, quaeque saepe prodest, ea est perspiratio.

Exercitatio, quanquam utilis est, admodum caute, praesertim morbo provectiore, adhibenda est; namque si vires excedat, exitio repente esse potest. Qui vero debilitati sunt, et movere nequeunt, fricari, vel lecti ita suspendi debent, ut leniter huc illuc moveri concutive possint. Modica tamen exercitatio, praesertim qualis eodem tempore oblectationi animi inservit, ad aegrotum restituendum plurimum facit.

Proximum est, ut de medicamentis, huic morbo necessariis, dicamus. Haec autem sunt stimulantia, et tonica. In illis magnopere eminet vinum quod stimulo ventriculo grato est, et potestatem corrobo-

(*a*) Vid. Claris. Irvin. Glasguens. Praelect. msf. de Mater. Medic.

(*a*) Boerhaav. Aph. 1165. Lind P. 198.

rantem in fyftema univerfum diffundit; cujus quoque fit particeps animus. Hoc in morbo utilius efficitur, fi fucco limoniorum, cui aliquantum facchari fuit adjectum admifcetur. Hoc modo fit magis diureticum et diaphoreticum, quam cum adhibetur meracum. Si nequit comparari fpiritus deftillati, ex aqua diluti, in locum ejus, cum commódo, fubftitui poffunt.

Ex his cortex Peruvianus attentionem noftram fibi potiffimum vindicat. Si ftomacho facile fedeat, et largis quantitatibus adhibeatur, effectus ejus boni hinc brevi percipiuntur, quod ulcera fcorbutica fpeciem magis fanam prae fefe ferunt, et profufio fanici fluxu boni puris mutatur. Sub forma decocti dari, vel e vino infundi poteft.

Infufa amara, qualia funt e cortice aurantiorum, columba, radice gentianae, floribus chamomaeli, fummetatibus centaurei minoris, quoque adhibentur, fed multo minus efficaciae, quam cortex, habent. Aquae minerales, aëre fixo ferroque imbutae, ab Hoffmanno et Van Swieten (*a*) fummis laudibus afferuntur. Quae a Black et Prieftley fuerunt detecta, ea nos hafce aquas per decompofitionem arte factam imitari docuerunt. Ope machinae a Nooth inventae, quolibet in loco comparari poffunt.

Caeterum filentio minime praetereundum eft, omnia haec medicamenta tantum, ut rationis diaetae et exercitationis fupra propofitae auxilia, agere. Quanquam utilia funt, parum fiduciae in illis collocandum eft, cum, ea neglectui habita adminiftrantur.

(*a*) Van Swieten Comment. in Boerhaav. Aphorifm. 1146. Hoffman Medic. Ration. Syftemat. tom. 4. part 5. p. 29.

Poſtremum eſt, ut remedia commemoremus, quae ad ſigna morbi graviora levanda accommodantur, cum ea deſunt, quae morbum ex toto depellunt.

Gingivae tumentes ſpongioſae ſanguinemque profundentes, inter initia, eas ſolutione aluminis ex aqua, tinctura corticis Peruviani, gargariſmo ex aqua hordeata, ſpiritu vitrioli et tinctura myrrhae compoſita confecto, lavando poſſunt levari. Cum fungus adeo excreſcit, ut moleſtiae ſit, abſcindendus eſt; vel, ſi ulcera profunda ſint, et ſemet diffundant, eorum progreſſus, ea oleo vitrioli ſpirituve ſalis, vel puro vel diluto, tangendo, ſiſti poteſt (*a*). Tumores crurum oedematoſi frictionibus lenioribus faſciiſque modice arctis curandi ſunt. Sudatio partis affectae fomentis calidis et fumigationibus excitanda. Quae in uſum quoque revocanda ſunt, cum crura indurata et contracta evadunt. Poſtea oleo bene inungantur. Ulcera lino ſicco curanda, vel tinctura Myrrhae humectanda, et fungus modica preſſura coercendus.

Diarrhoea cum ſanguine, quae plerumque ſignum exitiale eſt, ut opium et ore et ano liberaliter adminiſtretur, requirit. Quinetiam enema, e juſculo ovillo, cui quantitas vini rubri Luſitani exigua fuit adjecta, conflatum in canalem alimentarium frequenter immittatur. Decoctum corticis Peruviani valentius, et Ipecacoanhae parvulis doſibus data, efficacia eſſe reperta ſunt.

Sanguinis profuſiones, ſi e partibus, ad quas accedi poteſt, efferuntur, applicatis adſtringentibus et

(*a*) Lind, p. 202.

pressura sunt coercendae; si vero e partibus internis, raro supprimi possunt. Cortex Pervianus vero, vinum rubrum Lusitanum, et acida mineralia optimam successus prosperi spem nobis suppeditant.

Hujuscemodi sunt signa, quae, uti rite attendantur, maxime postulant. Si ullus aliis morbus cum scorbuto fuerit conjunctus, ut phthisis pulmonalis, icterus, hydrops, dysenteria, &c. quae remedia in hisce morbis adhiberi consuerunt, ea nostrae curationis rationi nunquam non adjiciantur.

F I N I S.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

CAROLUS HILL,

HIBERNUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Vetus sed verissima, et medicorum et vulgi, est sententia, respirationem et vitam pari ambulare passu.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

GEORGIO OGLE,

Regi a privato concilio,

Quem cives,

Facundum ac fidelem olim experti,

In curiam Hibernicam

Iterum iterumque evexerunt,

Hanc diſſertationem,

Summae obſervantiae monumentum,

Conſecrat

CAROLUS HILL.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE.

EX innumeris morbis, qui mortales lacessunt, ii sunt saevissimi qui functiones vitales turbant. Respiratio est adeo vitae necessaria, ut plerique morbi pulmonis substantiam laedentes, ejusve actionem impedientes, periculosi, plurimi lethales evadant. Cum autem substantia est tenerrima, motusque perpetuus, cum praeterea aëri frequentissimas mutationes subeunti objicitur, et plurimum sanguinis, singulis respirationibus, transmittit, permultis mor-

bis eſt obnoxius. Eorum nullus gravior nec periculoſior quam hydrothorax, quem jam ſum tractaturus.

Haec eſt optima morbi definitio: Dyſpnoea, faciei pallor; pedum oedemata; urina parca; decubitus difficilis; ſubita et ſpontanea ex ſomno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans *.

Hiſtoria morbi eſt perdifficilis; quia tot extant varietates, quot vix ad deſcriptiones generales redigi poſſunt. Initium morbi eſt quodammodo duplex; interdum enim thorax primo afficitur, unde ſigna hydropis ad alias corporis partes tranſeunt; ſaepius tamen aqua, in alias partes prius effuſa, ad pectus demum tranſit.

Priore in exemplo, morbus plerumque incipit a ſignis catarrhi vel peripneumoniae. Senſus eſt doloris vel ponderis circa diaphragma, per totum thoracem, et ad ventriculum uſque, poſtea pertinens. Tuſſi moleſta, interdum dolorifica, aeger noctеſque

dieſque

* Cull. Noſol. vol. 2. p. 277.

diesque vexatur. Sputum initio parcum, postea augetur, interdumque sanguine tingitur. Dum aeger suspicatur catarrhum, aliumve affectum leviorem, solum adesse, signa acerba, postea memoranda, exorta, aquam esse in thorace effusam ostendunt. Oedema pedum accedit, quo, signa thoracis male se habentis initio saepe levantur; sed paulo post, seu oedema pedum permanserit, necne, denuo redeunt.

In altero exemplo, quod quidem longe frequentissimum est, signa hydropicae effusionis alias corporis partes invadunt, thorace parum vel non omnino affecto. Sed, cum aliae partes subito sine aucta evacuatione detumescant, vel cum signa diu duraverint, thorax ipse afficitur. Rebus ita sese habentibus, tussis ac dyspnoea semper inter prima symptomata inveniuntur. Quomodocunque morbus inceperit, utrum aqua primo in thoracem ipsum, vel in alias partes fuerit effusa, eadem sunt symptomata, idem progressus.

Dyspnoea,

Dyſpnoea, quotidie aucta, moleſtiſſima fit. Æger miſerandus nec recumbere nec ſcalam aſcendere, ſine anxietate intoleranda, poteſt. Cum ſomnum ambit; caput elevetur, corpuſque erigatur eſt neceſſe. Inter dormiendum diris inſomniis agitatur; nam ſibi videtur nunc ſub undas aeſtuantes ſubmergi, nunc ire ſolus per loca tenebroſa, adeoque anguſta, ut reſpiratio uſque ad ſuffocationem difficilis evadat. Corde palpitantante, ſomnus aegrum anhelantem linquit, qui expergefactus in dyſpnoeam inſomniis graviorem incidit.

Somnus ſaepiſſime rumpitur ſine inſomnio; nempe intoleranda anxietate, quam cordis palpitatio ac reſpirandi difficultas nunquam non inferunt. Æger plerumque multum terretur, nec raro, metu ſubiti periculi perculſus, cum primum expergiſcitur, exclamat.

Cauſam quae thoracem refercire ac coarctare videtur, rejicere tuſſiendo ſaepiſſime laborat, ſed fruſtra. Sputum copioſum levamen pauliſper interdum affert; at cauſa altior

altior eſt quam ut hoc modo ſuperari poſſit.

Situs corporis moleſtiſſimus variat prout ſedes fluidi effuſi. Alterutro cavo thoracis aqua impleto, aeger in contrarium recumbere nequit; utroque impleto, vix omnino recumbere poteſt. Corpus erectum, vel paulo pronum tenere, tunc non modo gratiſſimum, ſed prorſus neceſſarium fit.

Piſo meminit reſpirationis difficilis ac celeris, quae ſubito circiter horam ſomni invaſit, et, aurora appropinquante, gradatim deceſſit.

Ex niſibus ſubitaneis vel nimiis, fluctuatio in pectore ſentitur. Alias, motus aquae tremulae et undantis, cordis motibus reſpondens, ſemper ſentitur, et interdum obſervari poteſt inter tertiam quintamque coſtam. Hypochondria quoque ſaepe tument, et alterutrum brachium interdum ſtupet.

Etſi reſpiratio primo et praecipue afficiatur, attamen poſtea nulla functio non turbatur, et denique infelix aeger extrema debilitate

bilitate obruitur. Appetitus cibi minuitur; potus, quamvis non ſemper ad ſitim extremam, augetur, urina ſit parca.

Memoriae proditur, paroxyſmos febriles ſingula morbi ſtadia infeſtare, et acerbiores fieri veſperem verſus; ſed in exemplis hujuſmodi, pus non aquam effundi, veri videtur ſimillimum. Utcunque res ſit, hi non modo non conſtantes, ſed rari inveniuntur. Circuitus plerumque languidus et tardus ſit, parteſque extremae frigidae, parumque ſentientes factae, gangraena aliquando afficiuntur. Poſt ſecundum vel tertium pulſus quemque ictum, longae intermiſſiones ſuccedunt, ictuſque ſequentes ſimiliores ſunt ſpaſmodicae contractioni quam regulari actioni cordis. Pulſus haud raro valde frequentes fiunt, et ſimul aequales reperiuntur. Saepius vero cum frequentia pulſuum inſignis intermiſſio et inaequalitas conjunguntur.

Nonnunquam tardiſſimi fiunt, cujuſmodi exemplum nuper obſervabatur in Noſocomio

mio Edinenſi, quod breviter narrare operae erit pretium.

Quidam lanius, annum trigeſimum ſextum degens, tuſſi ac dyſpnoea fere ad ſuffocationem uſque, corripiebatur. In dextrum latus vel in dorſum decumbere non omnino potuit, in latus ſiniſtrum pauliſper tantum, idque aegerrime. Oedema erat pedum, et fluctuatio in abdomine manifeſta. Ex ſomno ſemper ſubito excitabatur. Pulſus lentior erat, quam fere unquam in exemplis hujuſmodi obſervatur. Ad vigeſimam nonam vicem vel infra, in horae minuto, deſcendebat, quod quidem Gregorius ipſe non ſine admiratione notavit.

Palpitatio mire creſcit, adeo ut nunc ſyncope, nunc mors repentina, conſequatur.

Dum circuitus et reſpiratio ita turbantur, ut aeger motus omnigeni fiat intolerans, dum appetitus cibi proſternitur, vultus magis magiſque palleſcit, venae flaccidae fiunt, et omnia ſigna leucophlegmaſiae adſunt. Debilitas tanta denique evadit, ut deglutitio ipſa fiat difficillima. Pulmo adeo

deo opprimitur, ut post horrendam anxietatem, plurimosque conatus irritos, ejus motus omnino cesset.

Quantum ad morbi cursum spectat, plurimae inveniuntur varietates. Raro lethalis fit ante aliquot hebdomadas, saepe per plures menses durat; sed interdum, ubi nempe aqua in pericardio contineatur, intra hebdomadem secundam aeger fato cedit.

Morbo cito progrediente, ea quae notavi non omnia observantur, qualia sunt, oedema pedum ac manuum, vel vultus leucophlegmaticus; immo interdum nulla fuit suspicio morbi ante sectiones cadaverum, de quibus pauca addere nunc rei non erit alienum.

Ex quo medicina excoli coeperit, medici conati sunt explorare effectus morborum cultro, ut inde causas medelamque colligerent; nec ex toto incassum; nam plurima physiologiam, quaedam pathologiam spectantia, inspectio cadaverum in lucem edidit. Plura commoda tamen saepissime pollicetur quam praestat. Difficile quoque

est

eſt cauſas morborum ab eorum effectibus, et iis quae poſt mortem ſequuntur internoſcere. Horum omnium memor, phaenomena poſt mortem frequentiſſima nunc breviter proponam.

Interdum, ubi aqua effuſa unica mortis cauſa fuerat, omnia viſcera thoracis ſana inventa ſunt; ſaepiſſime tamen ſchirrus vel callus pulmonis invenitur, interdum ſuppuratio.

Viſcera abdominalia, uti jecur, lien, ventriculus, et pancreas, ſaepe morbida quoque inventa; ſed difficillimum eſt ſtatutu, quatenus affectiones hujuſmodi pro cauſis morbi ſunt habendae.

Quaedam unciae fluidi ſaepiſſime in thorace inveniuntur, nullo praegreſſo morbo; ſed interdum quantitas, poſt hydrothoracem, ad plures libras exurgit.

Fluidum nonnunquam limpidum eſt, ſaepius turbidum, lac ſerumve referens. Hiſtoriam eximiam Williſius memoriae tradidit, quam breviter referre non ſupervacuum judico.

 ' Nuper

'Nuper adolescens satis sanus et robus-
'tus, venationi, equitationibus improbis, a-
'liisque corporis exercitiis quantumvis im-
'modicis, dudum impune assuetus, tan-
'dem in thorace plenitudinem seu velut
'inflationem quandam persensit, in tantum
'ut pulmonis latus sinistrum intumescere,
'et cor extra locum suum dextrorsum pro-
'trudi videretur *.'

Postea vas videbatur disrumpi, et stillicidium ab alta ad imam partem thoracis, non solum sibi, sed adstantibus, aubiebatur.

Signis ingravescentibus 'chirurgus inter
'sextam et septimam vertebram cauterium
'applicuit, et postridie foramini in pecto-
'ris cavitatem secto canalem indidit, quo
'facto statim liquor crassus, ac instar chy-
'li albescens et quasi lacteus, effluebat. Hu-
'jus prima vice sex circiter unciae detrahe-
'bantur, et postridie tantundem. Die
'tertio paulo major quantitas exibat †.'

Sedes

* Willis, Pharm. Ration. p. 216.

† Id. ib.

Sedes fluidi effuſi multum variat; nunc invenitur inter pleuram ac coſtas, nunc, ſed raro, inter plicas mediaſtini; nunc in ſaccis intra cavum thoracis, vel in ſubſtantia pulmonum formatis, interdum etiam in pericardio *.

Haud raro tamen licet multa ſigna hydrothoracis mortem praeceſſerint, cadaver nulla ſigna effuſionis oſtendit. Puella debilitata, annos 18 nata, a Gregorio, acumine judicii, aeque ac elegantia ingenii, inſignito, proxima hyeme, in noſocomio Edinenſi tractabatur. Per quinquennium, aliquantum ſanguinis tuſſiendo rejecerat; anxietas praecordiorum erat intoleranda; cor palpitabat. Pulſus plerumque tardiſſimus, circiter 33 vel aliquantum infra, interdum, etſi raro, naturalis, interdum frequentior obſervabatur. Nonnunquam valde

* Nonnulli hunc morbum a hydrothorace eſſe diſtinguendum putant; cum tamen ſigna ſunt eadem, ut et remedia, diſtinctione, Culleno judice, minime opus eſt.

de intermittebat, aegerque animo ſaepiſſime linqui ſolebat. Signa amenorrhoeae ac dyſpepſiae quoque aderant; quae tamen omiſi, quia nil ad meam rem pertinent.

Multis remediis incaſſum adhibitis, ſubito obiit, inſpectoque cadavere, dum alii adhaeſiones, alii polypos, effuſionem, vel oſſificationem valvularum, credebant repertum iri, omnes fere partes omnino ſanae conſpiciebantur. Exiguae quidem, dubiaeque notae inflammationis, circa cordis apicem detegebantur, et aliquantum aquae in pericardio inventum; quantitate tamen adeo exigua, ut incredibile videretur, id tot malorum fuiſſe cauſam.

DIAGNOSIS.

Morbo provecto, haec minime eſt difficilis. Difficultas ſpirandi tamen ſola non ſufficit; quippe quae aſthmati, eique ſpeciei dyſpnoeae,

dyſpnoeae, quae aquoſa nominatur, ut et reliquis, ſit communis.

Sed in aſthmate, paroxyſmi periodici ſunt, iiſque decedentibus, mortalis ad priſtinum vigorem cito reſtituitur. Vultus, et inter et poſt paroxyſmum, non modo non pallidus ac languidus, ut in fere omnibus hydropibus, ſed ruber floriduſque haud raro evadit. Pulſus plerumque ad, interdum ultra, gradum ſanum exurgit. Palpitatio et ſyncope rarius occurrunt. Oedema pedum tumorque abdominis abſunt, nec urina parcius ſolito fluit. Senſus eſt conſtrictionis in trachea vel in bronchiis, nullus tamen fluidi ibi fluctuantis.

Dyſpnoea aquoſa nil eſt niſi initium hydrothoracis, ideoque diagnoſis eſt ſupervacua. Aqua effunditur vel in partes extremas, vel in cava corporis, adeo ut dyſpnoea invadat. Paulo poſt, aqua accumulatur, omniaque ſigna hydrothoracis plene edit.

Quum tantum fluidi ſit, quantum inter fluctuandum ſentiri vel audiri ab adſtante poſſit, morbus ſatis manifeſtus eſt. Interdum

dum tamen ſigna a pure non ab aqua effuſa oriuntur. Hic morbus empyema nominatur, et hydrothoraci eſt admodum ſimilis. Si ad ſenſum fluctuationis ſolum animum adverteremus, diagnoſis foret omnino difficilis; ſed, ſi hiſtoriam morbi reſpiciamus, et violentiam inflammationis praegreſſae, una cum ſignis ſuppurationis hanc inſequentis, conſideremus, morbos dignoſcere plerumque poterimus. Oedema pedum, et ſigna hydropis in aliis corporis partibus, empyemati non adſunt, dum febris hectica, rara hydrothoracis comes, id ſaepiſſime comitatur.

Praeterea, ſtupor alterutrius brachii in hydrothorace ſaepiſſime obſervatur, et fortaſſe diagnoſin quadantenus adjuvabit; nam rarius in aliis pectoris morbis conſpicitur. Hoc tamen non eſt ex toto certum.

THE-

THEORIA MORBI.

Hydropes varie nominantur, prout aqua in hanc vel illam partem fuerit effusa; sed omnium natura est quodammodo similis. Utrum aqua effusa igitur habebitur causa proxima morbi, vel signum solummodo cujusdam causae, quam proximam vocare placet, parum anxius, res quae effusioni favent nunc brevissime exponere conabor.

Multum hac de re hallucinati sunt antiqui. Vasorum absorbentium et exhalantium ignari, theorias vanas futilesque finxerunt. Hydrothorax, ex. gr. credebatur oriri a nimia serositate in cerebro; unde aqua nunc stillabat nunc fluebat in pulmones. Rem vero nunquam tetigerunt, quod quidem nemo mirabitur qui meminerit, quanto homines sint procliviores et ad affirmandum et credendum, quam ad sedulo indagandum. Opinionibus antiquorum,

quas

quas refellere non nunc operae eſt pretium, omiſſis, ad ea quae ratio probat, et experimenta confirmant, progrediar.

Nullum cavum eſt corporis humani quod non perpetuo humet. Vaſa unde hic lenis vapor humectans proveniat, nominantur arteriae exhalantes. Perquam exiles ſunt, ita ut, dum ſanae, vaporem vel rorem tenuem ſolum emittant. Hic humor ſemper mutatur; nam ex iiſdem cavis, in quae exhalantia deſinunt, abſorbentia oriuntur. Ubique fere corporis inventa multis funguntur officiis; quae ab inteſtinis oriuntur, ea cibi partem nutrientem ad ſanguinem vehunt; quae a ſuperficie originem ducunt, res multas vel ſponte vel ope frictionis hauriunt; quae, denique, a cavis proveniunt, ea accumulationem fluidi exhalati praecavent. Ut corpus igitur ſit ſanum, opus eſt quodam inter exhalantium actionem et abſorbentium aequilibrio. De morbis a nimia abſorptione oriundis quaerere, ad me non attinet, et de vitio contrario, deque nimia exhalatione, ea ſolummodo quibus opus

opus eſt ad hydrothoracem illuſtrandum, proferam.

Omnia quae corpus laxant et debilitant, id hydropibus pronum reddunt. Diaeta tenuis, aquoſa, ebrietaſque ſint exempla. Utrum ſanguis tenuior fiat his ſimilibuſque, parum conſtat; ſed nemo dubitat quin ſolida debilitentur. Pari ratione hydrops frequentiſſime graſſatur in regionibus nebuloſis et humidis; humidus enim aër, ut omnes norunt, ſolida relaxat.

Nimiae evacuationes eundem edunt effectum. Hinc mira proclivitas ad hydropem poſt diarrhoeam diuturnam, poſt dyſenteriam, ſed praecipue poſt haemorrhagias, ſemper conſpicitur. Ex his, partes extremae frigeſcunt, pulſus adeo fit debilis vel tardus, ut extremae arteriae ſanguinem in venas propellere nequeant; unde exhalatio nimia, et ex leviſſima cauſa excitante, hydrops invadit.

Moeror, moeſtitia, aliaque id genus, quippe pulſum tardiorem debiliorem et ideo ſanguinis motum languidorem reddentia, et ad

 vitam

vitam ignavam ducentia, inter caufas hydropis remotiores funt jure numeranda.

Eorum quae circuitum fanguinis impediunt, quaedam hydropem excitant, omnia ei opportuniores homines reddunt. Tumores varii, fpafmi cordis, vel offificationes valvularum femilunarium, hanc rem probant.

Quum provecta aetas pluribus caufis praedifponentibus quam juventus objiciatur, ipfa inter eas, nec fine caufa, a plurimis traditur.

Etfi, methodi ergo, caufae remotae vulgo in praedifponentes et excitantes dividuntur, difficile tamen fit alias ab aliis internofcere, nec ufquam quam in hydropibus hoc eft difficilius. Res tamen levis eft; namque, modo caufae quibus tribuimus morbos ad juftam theoriam rectamque medendi rationem ducant, parum refert quaenam nomina iis indantur.

Inter caufas hydrothoracis excitantes, ea quae curfum fanguinis per pulmonem impediunt, primum fibi vindicant locum. Obftructiones omnigenae faepiffime hydropes gignunt,

gignunt, cujus rei ſchirrus jecinoris eſt notiſſimum exemplum. Tantum enim ad aſciten inferendum confert, ut in pluribus exemplis, ejus cauſa proxima a pleriſque non immerito habeatur. Schirrus pulmonis (qui tamen non admodum eſt frequens) hydrothoracem gignere poteſt; nec non oſſificatio valvularum aortae, polypi cordis, et plures alii harum partium morbi. Praecipui reliquorum morborum ſunt, aſthma ſpaſmodicum et pneumonia. Hydrothorax aſthma toties ſequi creditur, ut Hoffmannus libellum de aſthmate et de effuſione aquae, quae id comitatur, ſcripſerit, multaſque hiſtorias rem illuſtrantes in medium protulerit. Quomodo aſthma hydrothoracem excitet, difficile eſt dictu, niſi concedatur quandam conſtrictionem vaſorum libero ſanguinis curſui obſtare, quod quidem et veriſimillimum eſt, et plurimis placet; ſed, cum difficultatibus compluribus haec opinio urgetur, cumque cauſas recenſere magis quam harum rationem inveſtigare, ad me attinet, rem in medio relinquam. Fere eadem, de pneumonia dicere, dira neceſſitas cogit.

Quin

Quin hydrothorax ſaepius eam ſequatur, nemo inficias ibit, etiamſi ſingulos gradus, quibus haec illum inferat, detegere nequeat.

Inflammationem ſaepiſſime comitantur obſtructiones; eatenus, igitur, alias cauſas effuſionis aquae refert. Praeterea, actio vaſorum augetur, ita ut arteriae plus ſanguinis afferant quam venae recipere poſſint. Hinc extremae arteriae ſanguine diſtenduntur; ramuli, antea ſeri ſolius capaces, ſanguinem admittunt; quique tenuiſſimum tantum humorem exhalare ſolebant, ſerum ipſum effundunt. Dolor denique, pneumoniae pertinax comes, non eſt omnino negligendus. Quantum liber curſus ſanguinis per pulmones a dilatatione ac contractione thoracis pendeat, nemo ignorat; dolore autem cruciante, aeger nec plene inſpirare nec expirare audet. Ecce novam hydropis cauſam. Frigus corpori calefacto admotum ſaepe hydropem excitat, et apud vulgus, quod nonnunquam bene obſervat, licet abſurde ratiocinetur, aqua frigida calenti avide hauſta, inter cauſas hydropis

hydropis certiſſimas habetur. Mirum quidem eſt, quam cito effuſio cauſam hanc adhibitam ſequatur. Olim vidi juvenem gnavum, atque apprime robuſtum, qui, poſtquam diu et acriter (ut mos eſt plebi) ſaltaverat, ſemet flatui frigidi aëris temere obtulit, ſimulque copiam aquae frigidiſſimae avidiſſime hauſit. Sudor ſubſiſtebat; pulſus debilis fiebat; anxietas erat graviſſima; et mox poſtea, anaſarca totum corpus, a palpebris ad imos pedes uſque, invadebat. Dum iter faciunt milites, ſiti, pulvere et ardoribus aucta, impulſi, gelidiſſimos fontes temere adeunt; unde aſcites apud infirmiores, poſt longa itinera, in regionibus calidis, graſſatur.

Quaedam ad operationem aquae frigidae epotae ſpectantia abunde innoteſcunt, plura adhuc latent. Ex conſenſu ventriculum inter ac cutem, perſpiratio ſubito cohibetur; perſpiratione autem imminuta, major fluidorum quantitas, partes interiores verſus, praecipue pulmones, tendit. Hinc catarrhus ſaepe, et hydrothorax interdum, frigoris eſt proles.

Praeterea,

Praeterea, frigus ſubito adhibitum vim cordis et arteriarum mirum in modum minuit, quae diminutio, una cum aucto impetu fluidorum partes interiores verſus, exhalationem auget, et ita hydropem efficit.

Si quaeratur, cur frigus tam raro hydrothoracem et alios hydropes excitet, cum tot mortales ei quotidie objiciantur, vetus adagium erit reſponſum : ‘ Excitans cauſa ‘ nemini niſi praediſpoſito nocet.’ Frigus rheumatiſmum non ſemper infert ; nemo tamen idcirco dubitat, quin id ſit iſtius morbi cauſarum excitantium princeps.

Noxae externae multimodis hydrothoracem efficiunt.

Hactenus de iis, quae exhalantia praecipue ſpectant, dixi ; quaedam de vitiis abſorbentium adhuc reſtant dicenda. Etſi fibrae muſculares in abſorbentibus nondum fuerint conſpectae, inter omnes convenit, ea ſe contrahere poſſe, et morbis paralyſi ſimilibus evadere abnoxia. Paralyſis igitur abſorbentium inter cauſas hydrothoracis vulgo ſtat.

Obſtruc-

Obſtructiones quoque in iis frequentes fiunt, vel ob partes vicinas prementes, vel ob valvularum offificationem. Hujuſmodi exemplum Edinburgi obſervabatur. Injectio nunquam ultra quaſdam valvulas progrediebatur, quae examinatae, multo reliquis craſſiores ac duriores inveniebantur. Lymphatica ſunt mire robuſta; ſed interdum rumpuntur, et lympham in diverſa cava profundunt; haec ideo inter cauſas hydrothoracis eſt numeranda. Denique, omnes aliae cauſae, quotquot ſint, quae exhalationem augere, et abſorptionem minuere poſſunt, hydrothoraci inferendo ſunt aptae. Praecipuas hujuſmodi ſupra memoravi; omnes recenſere nec facile foret nec neceſſarium.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pleraque ſymptomata facile explicabuntur conſiderando motus pulmonis, effectumque

que aquae in thoracem effusae. Ut sanguis libere per pulmones fluat, opus est eorum alternis contractionibus ac dilatationibus. Costis levatis, et diaphragmate, singulis respirationibus, descendente, cavum thoracis ampliatur, quod pulmo aëre elastico distentus statim implet. Siqua res distensionem pulmonis impediat, *dyspnoea* cito invadit. Aqua autem in quavis parte thoracis hunc effectum non edere non potest. Costae quidem levantur, et diaphragma descendit, satis superque; sed aqua, eas inter ac pulmonem interposita, hunc comprimit.

Tussis.—Fere omnia quae pulmonis motum impediunt tussim excitant, benigno consilio, nempe, rem nocivam ejiciendi.

Difficilis decubitus.—Homine recumbente, viscera abdominis descensui diaphragmatis obstant; unde thorax fit angustior, et dyspnoea gravior. Ubi aqua in altero dimidio thoracis continetur, aeger in latus adversum decumbere nequit; namque, dum aqua effusa plenam lobi in latere tunc superiore

periore dilatationem prohibet, coſtae inferioris lateris pondere corporis immobiles redditae, alterius lobi dilatationem parum ſinunt. Unde aucta dyſpnoea, et anxietas intoleranda, miſerum a lecto abigunt.

Cor palpitat.—Sanguis per pulmones difficillime fluens circa cor accumulatur, idque ad actionem inaequalem ſtimulat. Actio tamen nimia debilitatem cito infert, unde palpitationem pulſus intermittens plerumque comitatur.

Somnus cito rumpitur.—Vis corporis in hydrothorace adeo eſt infracta, ut ſomnus multum deſideretur, et in eum aeger ſubinde incidat. Inter dormiendum, autem, functiones vitales minore vi perficiuntur, ita ut pulmones, minus minuſque diſtenti, ſanguini tranſmittendo demum prorſus impares evadant. Hinc dira inſomnia, de ſuffocatione, exorta, ſomnum cito fugant; alias, ſenſus moleſtus per ſe, ſine ſomnio, eundem edit effectum.

Urina parca et ſitis, omnibus hydropibus communes, eandem agnoſcunt originem.

 Cum

Cum enim multum ſeri in cava varia effundatur, parum reſtat unde ſecretiones aquoſae fiant. Hinc urina parca, hinc ſaliva deficit, unde ſitis aucta.

Stupor brachii.—Utrum hoc in hiſtoriam admitti deberet necne, diu anceps, demum admiſi, et quia auctores optimae fidei id ſemper notant, et quia in hydrothorace bis ipſe vidi. Rationem tamen nullam reddere poſſum. Num licebit affirmare nervos brachii comprimi ? Sed quomodo comprimuntur ? non in thoracem deſcendunt, nec ad axillam ita exurgit aqua, ut eos comprimere poſſit. Rem igitur meas vires penitus ſuperare, lubenter confiteor ; ſed certe, eam non eſſe pro ficta et incredibili habendam, plurima docent. Quis reddet rationem tumoris teſtis in cynanche parotidaea ? Hic tamen toties obſervatus fuit, ut pro ſigno pathognomonico jure habeatur.

PROG-

PROGNOSIS.

Haec plerumque ſit infauſta; morbus enim pleroſque perimit, ſed ſerius citius, prout ſigna fuerint magis minuſve gravia, et prout cauſae excitantes ſint magis minuſve acerbae. Si ſigna ſint levia, aetaſque aegri non admodum provecta, levamen, forſan interdum plenam morbi ſanationem, ſperare licebit.

Sin contra, ſigna ſint gravia, aegerque ſenex, ſi quoque ſit cur ſuſpicemur obſtructionem fixam, lethum eſt expectandum. Quanto diutius morbus duraverit, tanto minor ſpes eſt ſalutis.

Alvus ſponte fluens, et magna copia urinae ſaepe proſunt; idcirco non inter ſigna periculi ſunt numeranda. Febris quoque interdum bonum ominatur.

Denique, ne diutius morer, morbus fere ſemper lethifer eſt, et quanto gravior dyſpnoea, quantoque major debilitas, tanto propius inſtat fatum.

ME-

METHODUS MEDENDI.

Poſt prognoſin adeo infelicem, ſupervacuum, forſan ridiculum, videbitur remedia proponere; ſed multa mala, quae tolli nequeunt, levari poſſunt. Praeterea, anceps remedium nulli praeſtat, et forſan felicior aetas, poſt nempe majorem uſum, pluraque pericula, id praeſtare poterit quod ludit hodiernos conatus. Quocirca ad remedia efficaciſſima nunc progrediar.

Conſilia medendi duo ſunt; viz.

1mo, Aquam effuſam evacuare.

2do, Ejus effuſionem in poſterum praecavere.

Quae priori conſilio reſpondent, ſunt,

A. Directa evacuantia, ſcilicet,

Paracenteſis.

B. Indirecta, qualia ſunt,

1. Veſicatoria.

2. Fonticuli omnigeni.

3. Emetica.
4. Purgantia.
5. Diuretica, et
6. Sudorifica.

2do, Alteri consilio respondent omnia quae obstructiones tollunt, cujusmodi sunt,

1. Mercurius.
2. Cicuta.
3. Crystalli tartari.
4. Mezereon.

Nec non cuncta quae tonum corpori restituunt, et inde actionem absorbentium adaugent, viz.

1. Diaeta.
2. Exercitatio.
3. Frictio.
4. Chalybeata.
5. Cortex Peruvianus, et interdum
6. Frigidum balneum.

De

De ſingulis ſupra memoratis, multa verba facere facile, ſed ſupervacaneum foret. Perpaucis igitur ero contentus.

Si omnia remedia fruſtra fuerint adhibita, ſi ad extrema perventum fuerit, ſi denique aeger vitam protrahere voluerit, ad paracenteſem decurrere licebit. Modus optimus hanc operationem perficiendi in ſcriptis chirurgicis invenietur, quem nunc deſcribere non ad me attinet. Signa haud dubie levabuntur; ſed parumper, ni a nova effuſione caveatur, quod quidem adeo eſt difficile, ut quiſque prudens aegrum amicoſve praemonere certe debeat, ne operatio parum proficiens ſibi vitio vertatur.

Veſicatoria dorſo, pectori, ſive lateribus, applicata, ut omnibus notum, praeſtantiſſimos edunt effectus; quippe quae, dum effuſionem minuunt, abſorptionem multum adaugent. Semper tuta ſunt; et, ubicunque ſuſpicio morbi eſt, adhiberi poſſunt, quodque magnopere utilitatem adauget, pars veſicata fonticulus fieri poteſt, quamdiu opus fuerit.

Cum

Cum hydropes interdum vomitu fuerint ſoluti, multi ad emetica confugerunt. Doſes parvae ſubinde repetitae augent urinam, perſpirationem, et expectorationem; unde ſerum in corpore minuitur. Praecipuum tamen commodum oritur ab aucta abſorptione, quam, uti multa monſtrant, emetica efficiunt. Bubo, ex. gr. qui omnibus diſcutientibus reſtitit, vomitui ſaepe cedit.

Emeticorum optima ſunt ipecacuanha, ſcillae, tartarum emeticum, vitriolum album, et infuſiones foliorum vel radicis digitalis, quae planta nuper multum fuit laudata.

Sed in hydrothorace, emetica ſunt cautiſſime adhibenda; agitatio enim vomendi ſemper periculoſa, interdum lethalis, haud dubie evadet. Debilitas aegri niſus violentos tolerare parum valet, et, ſi morbus ab oſſificatione valvularum proveniat, vel ſi multum aquae jam fuerit effuſum, vomitio vaſa rumpet, vel aegrotum ſubito ſuffocabit. Nunquam igitur eſt cienda; et ſi e-

metica

metica praecipere placeat, ſint adeo modica ut nauſeam ſolam moveant.

Cathartica draſtica quaedam tantum aquae inteſtinis detrahunt, uti hydragoga nominentur. Hujuſmodi ſunt pilulae lunares, jallapium, gambogium, elaterium, ſcammonium, aliaque multa. Haec quidem excretionem muci multum promovent, et fluida inteſtina verſus alliciunt; ſed inflammationem inteſtinis, et extremam aegro debilitatem, minitantur. Sydenhamus notat ea eſſe quotidie, vel non omnino, uſurpanda; ſi enim intervalla forent longiora, morbum ex uſu eorum fore graviorem. Cum autem nemo hujuſmodi evacuationes tolerando par ſit, draſtica cathartica vix ſunt praecipienda.

Cryſtalli tartari, quorum uſum in omnibus hydropibus experientia probat, hydrothoraci optime conveniunt; et dum alvum leniter ſolvunt, diureſin quoque promovent, quae praebet optimum aquae ſuperfluae exitum, nec corpus aeque ac catharſis debilitat. Interdum urinae copiam

citiſſime

citiſſime augent. Ægra nuper hydrope in noſocomio noſtro laborabat, cujus urina intra paucos dies, (Hopio peritia et cura inſigniſſimo, hoc remedium quotidie adminiſtrante) a libris duabus ad ſex ſeptemve augebatur. Experimenta nupera oſtendunt, cryſtallos tartari ſemper evadere efficaciſſimos, ubi multa diluentia ſimul permittuntur, et morem antiquum interdicendi potum hydropico eſſe et crudelem, et nocivum.

Cryſtallis tartari parum proficientibus, quod nimis ſaepe obſervatur, alia diuretica ſunt tentanda, qualia ſunt ſcillae, colchicum, ſales alkalini, et iſte potus Anglice *gin punch* nominatus. Cum copia urinae augeri nequeat, niſi fluidum effuſum prius abſorbeatur, mercurius vim omnium diureticorum auget.

Decoctum cinarae interdum urinae fluxum promovet; ſed adeo eſt amarum ut ventriculus raro, tantum quanto opus eſt, recipere poſſit.

 Ubi-

Ubicunque hydrops a minuta perſpiratione, ut in locis frigidis, humidis, pendet, cathartica et diuretica, utpote quae a ſuperficie impetum faciunt, minus quam ſudorifica apta videntur. Mercurius praegreſſus operationem ſudorificorum valde adauget; idcirco ſemper eſt praemittendus, poſt quem, pulvis Doveri conveniet.

Nil magis ſolvit obſtructiones, vel ſecretiones auget, quam mercurius; qui igitur princeps deobſtruentium habetur. Quam utilis ſit in ſchirro jecinoris, et in hydrocephalo, nemo ignorat. Dr D. Monro memorat multa exempla hydropis, in quibus mercurium efficacem experiebatur; unde in hydrothorace eſt tentandus.

Cicuta ac mezereon quoque laudantur; ſed vis eorum nondum ſatis comperta. Cryſtalli tartari jam inter purgantia et diuretica ſtant; ſed hic iterum eos proferre oportet, ob vim deobſtruentem, qua, ut quibuſdam placet, gaudent. Litem movere nolo; ſed quomodo obſtructiones tollere poſſint,

aliter

aliter quam augendo evacuationes antea memoratas, me non intelligere profiteor.

Frictio, multa commoda hydropico affert; ideoque nunquam est negligenda.

Aqua evacuata, ejus nova accumulatio est sedulo praecavenda. Frigus, et omnia quae morbos pectoris vel debilitatem inferendo sunt apta, caute effugiantur. Contra alvum adstrictam, urinam parcam, et perspirationem cohibitam, caveatur. Diaeta sit plena, nutriens, stimulans. Exercitatio sit constans, quantum vires sinant. Si diaeta per se non sufficiat, cortex, amara, chalybeata, aliaque tonica auxilio esse possunt.

Quum aeger adeo convaluerit, ut balneum frigidum inire audeat, id multum proderit, modo corpus stimulet, et mox post egressum calorem excitet.

Hisce peractis, nil restat nisi ut Professoribus hujus almae academiae grates agerem. Eos lubentissime laudarem; sed nomina per Europam olim celeberrima meis laudibus parum honorabuntur.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 17. l. ult. *pro* languidorem *lege* languidiorem.

22. l. 22. *pro* abnoxia *lege* obnoxia.